# B. ALBERTI MAGNI
## ORD. PRAED.

# COMMENTARII IN LIBRUM BOETHII DE DIVISIONE

EDITIO PRINCEPS

RECENSUIT

FR. PAULUS MARIA DE LOE
ORD. PRAED.

---

BONNAE
SUMPTIBUS P. HANSTEIN
MDCCCCXIII

UNIVERSITY OF SAN DIEGO LIBRARY

# Index capitulorum.

Pagina

Tractatus I. De his, quae sunt ante scientiam determinanda. . . . 13

Cap. I. De utilitate doctrinae. . . . . . . . . . . . . . . . . 13

Cap. II. Quot sunt modi divisionum. . . . . . . . . . . . . . . 17

Tractatus II. De divisionibus singillatim. . . . . . . . . . . 19

Cap. I. De manifestatione cuiuslibet divisionis per exemplorum positionem. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 19

Cap. II. De manifestatione divisionum per accidens. . . . . . . . 25

Cap. III. Qualiter convenientiae et differentiae divisionum sunt inquirendae. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 27

Cap. IV. De differentia divisionis generis ad alias divisiones. . . . . 28

Cap. V. De differentiis, quae sunt inter divisionem generis in species et totius in partes. . . . . . . . . . . . . . . . . 31

Cap. VI. De differentiis divisionum totius in partes et vocis in suas significationes. . . . . . . . . . . . . . . . . . 36

Tractatus III. De genere. . . . . . . . . . . . . . . . . . 37

Cap. I. Quando divisio fit aliquando per differentias et non per species. 37

Cap. II. Qualiter consideranda est in genere divisio et de differentiis dividentibus. . . . . . . . . . . . . . . . . . 41

Cap. III. Quod divisio debet fieri per opposita. . . . . . . . . . 46

Cap. IV. Qualiter fit divisio secundum opposita contradictorie. . . . 48

Cap. V. Qualiter dividatur genus per oppositionem privationis et habitus. 52

Cap. VI. Qualiter fit divisio generis per contrariorum oppositionem. . . 54

Cap. VII. Quod secundum oppositionem relationis non est divisio generis. 58

Cap. VIII. Quod per immediata divisio generis debet fieri. . . . . . 60

Cap. IX. Qualiter per divisionem ad diffinitionem pervenitur. . . . . 66

Cap. X. Quod genus in divisione est totum et in diffinitione est pars. 71

Tractatus IV. De divisione totius. . . . . . . . . . . . . . . 74

Cap. I. Quot modis dicitur et est totum. . . . . . . . . . . . 74

Cap. II. Qualiter fit cuiuslibet totius divisio specialis. . . . . . . . 75

Tractatus V. De divisione vocis in significationes. . . . . . . . 79

Cap. I. Quot modis vox multa significat. . . . . . . . . . . . 79

Cap. II. Qualiter in multiplici voce facienda est divisio. . . . . . . 83

Cap. III. De modis specialibus, quibus distinguenda sunt singula multiplicia. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 85

Cap IV. De duabus divisionibus per accidens. . . . . . . . . . 88

Cap. V. De libri huius determinatione. . . . . . . . . . . . . 89

# Praefatio.

Causa principalis, quae me movit, edendi commentarios, quos Albertus, cognomine Magnus, in librum Boethii ‚de Divisione' scripsit, est prae caeteris viri per orbem et saecula clarissimi dignitas et meritum. Etenim beatus Albertus absque dubio inter primos locum obtinet, qui medio aevo mundum lumine scientiae illustrarunt. Nemo ab Aristotele ad nostra usque tempora tam diffuse, ac simul tam perspicaciter et acute de philosophicis disciplinis fere omnibus disseruit.

Unde iure Carolus Jessen in praefatione ad editionem criticam libri ‚de vegetabilibus' Albertum summis laudibus extollit, quasi „studii naturalis in occidente antesignanum perspicacissi„mum, qui primus religioni christianae adsimilavit atque iniunxit „sublimes illos Graecae sapientiae fontes; qui primus naturalem „historiam doctrinae ecclesiasticae parem posuit; qui primus res „naturales Germanicas ex arte descripsit; qui primus rerum „creatarum formas ad rationes morphologicas revocare conatus „est; denique qui primus atque unus historiam totius naturae „per omnes explicuit partes." Nec minora Albertus circa rationalis quam circa naturalis philosophiae negotium praestitit.

Pauci etiam ecclesiastici scriptores tam delectabiliter ac copiose Sacram Paginam, Sententias Patrum, Theologiae arcana exposuerunt. Unde tam in Theologia quam in philosophia et in naturalibus scientiis magnus iure meritoque praedicatur.

Sed et tota rerum ab ipso gestarum series magnum demonstrat.

Tanti viri scripta etiam minora adhuc inedita religiosa sollicitudine inquirenda ac in lucem edenda sunt, ne pereant.

Haec autem, quum de quibuslibet beati Alberti operibus ineditis valeant, liber ‚de Divisione', cur edatur, adhuc specialis ratio occurrit.

---

11 Berolini 1867. pag. V.

15 Naturalem historiam doctrinae ecclesiasticae parem ponere, Alberto in mentem non venit. Cfr. quae auctor de relatione Theologiae ad alias scientias habet in Summa Theol. P. I. Tract. I. Opp. vol. 31 p. 1—31.

26 De rebus ab Alberto gestis disserui in Analectis Bollandianis XIX 257—284; XX 273—316; XXI 361—371.

Ingenti conatu Albertus commentariis suis philosophiam universam illustravit. Hos, miro ordine dispositos, in unum maximum opus congessit, quod ,Commentarii in Aristotelem' vulgo appellatur, quamvis et in aliorum libros lucubrationes contineat. Hoc vero opus fere integrum, licet nec recto ordine dispositum, nec secundum regulas artis criticae correctum, in editione Lugdunensi operum Alberti lucem iam aspexit. Sola expositio in Boethium nondum e tenebris eruta est. Unde, hac editione perfecta, totum opus erit suae integritati restitutum.

Omnibus ergo magni Alberti memoriam colentibus servitium haud ingratum me exhibiturum spero, hosce commentarios in Boethii librum ,de Divisione', critica arte paratos, evulgando.

Priusquam vero opus ipsum aggrediar, quaedam de eius ingenio et authenticitate, de codicibus, quibus haec editio innititur, ac de eius institutione critica praemittenda sunt.

## I. De Alberti Magni libro de divisione.

Agendum hic breviter de titulo, de ingenio sive doctrina, de ordine huius libri, nec non de tempore et loco, quo Albertus illum composuit.

Titulum huic editioni: „Alberti Magni Commentarii in librum Boethii De Divisione" praefiximus. Boethii enim liber, quem Albertus commentariis suis inlustrat, communiter hac inscriptione decoratur. De Alberti libri titulo vero constans traditio nec apud codicum scriptores nec apud ipsum auctorem habetur. Passim enim ,liber Divisionum' vel ,Divisionis'; mox ,liber de Divisione' sive ,de Divisionibus' dicitur. Sed haec quaestio de nomine tantum non de re esse videtur, nec est, cur diutius in ea pertractanda immoremur.

Ordo autem, quo liber iste ad alios libros logicos refertur et locus, quem inter ipsos obtinet, ab auctore capitulo primo (14,22—29) statuitur. Pertinet enim ad primam partem logicae, in qua de incomplexo tractatur, quod nobis notum fit vel diffinitione per priora, vel divisione per posteriora, quae tamen priora sunt quoad nos. Unde inter librum ,de Sex Principiis' et librum ,Perihermenias' reponendus est, quod tam verbis Alberti, quam codicum testimonio maxime congruit. Errat ergo Echardus, qui auctoritate solius codicis Parisiensis (Bibl. Nat.

---

7 Opera omnia, edita studio Petri Jammy o. Praed. 21. vols. in Fol. Lugd. 1651.

lat. 14707) ductus miratur „typographos Lugdunenses Topicis eum non addidisse".

Doctrina vero, quam Albertus hic proponit, est doctrina Boethii, cuius literam et sententias exponit, vestigiis eius fideliter inhaerens. Porro sex genera divisionum distinguit: Generis in species — Totius in partes — Vocis in significationes — Subiecti in accidentia — Accidentis in subiecta — Accidentis in accidentia. Horum omnium diffinitiones, regulas, communiones, differentias secundum principia a Porphyrio et Aristotele traditas et in scolis communiter receptas exhibentur.

Quo autem tempore vel ubi Albertus librum de divisione scripserit, nec ipse indicat, nec alii scriptores retulerunt.

## II. De authenticitate operis.

Librum ‚de Divisione' Albertum Magnum habere auctorem omnino certum videtur. Etenim in sex codicibus, qui illum continent, videlicet Cameracensi, utroque Parisiensi, Vaticano, Venetiano Alberti nomine insignitur, et inter alios ad logicam pertinentes libros, quos scripsit, locum obtinet.

Codicum testimonium sequitur bibliographorum, qui opera Alberti recensent, consensus. Ludovicus de Valleoleto, Conradus de Prussia, Rudolphus de Novimagio librum ‚de Divisione' seu ‚de Divisionibus' scriptis logicis Alberti adnumerant.

„De logica sive dialectica", ait Valleoletanus in Legenda B. Alberti cap. 20 „scripsit logicam per longum, scilicet de Uni„versalibus librum unum, de Praedicamentis librum unum, de Sex „Principiis librum unum, de Perihermenias libros duos, de Divi„sionibus librum unum, de Topicis libros octo, de Prioribus libros „duos. Item Posteriorum libros duos. Item libros duos de „Elenchis. Item scripsit super librum Posteriorum per modum „expositionis litteralis" etc.

Iisdem fere verbis utuntur Prussia et Novimagiensis. Deest quidem mentio libri de Divisione in tabula scriptorum fratrum ordinis Praedicatorum, quam edidit ex codice Stamsensi cl. vir

2 Script. Ord. Praed. I 181 col. 1.

30 Catal. codd. hagiogr. Bibl. reg. Bruxellensis, quem edid. hagiographi Bollandiani. Bruxellis 1886. tom. II p. 105. cfr. Analecta Bolland. XIX (Brux. 1900) p. 268.

31 Vita Alberti Magni. Antverpiae 1621. cap. 44 p. 297.

31 Legenda Alberti Magni Pars II cap. 15.

33 Archiv für Literatur und Kunstgesch. d. M.-A. II p. 226-240.

P. Henricus Denifle O. Pr. Similiter eum omittunt Ptolomaeus de Lucca, Jo. de Columna, Henricus de Herfordia.

Sed Ptolemaeus et Jo. de Columna indicem completum operum Alberti minime tradiderunt, sed nonnisi quaedam de praecipuis recensent. Scriptor autem catologi Stamsensis et, qui illum sequitur, Henricus de Herfordia de opere nostro silent, forte quia in codicibus inter opera logicalia Alberti illud non invenerunt. Fatendum enim est, in pluribus codicibus, qui logicam Alberti continent, librum de Divisione deesse. Hoc autem contingit, non quod scriptores hoc opus Alberto abiudicarint, sed quia inter libros classicos cursum completum logicae constituentes, liber de Divisione Boetii, quem Albertus commentat, non ubique habebatur.

Inde etiam in variis antiquis editionibus logicae Alberti desideratur. Aegre ferendum, eum etiam omitti in editione operum omnium, quam curavit Petr. Jammy, quod auctores praeclari operis ‚Scriptores Ord. Praed.' merito mirantur. Rem extra dubium ponunt, et librum de Divisione, seu commentarium Alberti in librum de Divisione Boetii, genuinum esse Alberti foetum clare demonstrant ipsius auctoris verba.

Libro de Universalibus tract. I cap. VII scientiam divisionum inter eas, quas describere velit, recenset:

„quoad ordinem inventa est scientia Universalium et scientia Praedicamentorum, et quoad modum educendi unum de alio inventa est scientia Divisionum".

Porro in exordio libri de Sex Principiis Gilberti Porretani (tract. I cap. I) huic operi librum de Divisionibus subiungendum esse declarat:

„Propter quod ratio, qua fit ordinatio, primum in Porphyrio tradita est. Ordinatio autem, prout est in ordinatis, tradita est in scientia libri Praedicamentorum et in scientia Sex Principiorum et in scientia Divisionum".

Mox in libro Perihermenias (tract. I cap. I) librum de Divisionibus iam perfectum et inter libros Sex Principiorum et Perihermenias locum obtinuisse refert:

„Sicut ad diffinitionem habendam necessarium fuit praemittere diffinibilium et diffinientium inventionem et accep-

17 Tom. I. (Parisiis) p. 181 col. 1: „n. 49 Super Boetii librum de Divisionibus. Extat in Victorina . . . . Mirum Typographos Lugdunenses Topicis non addidisse".

25 Opp. I, 15.

32 Opp. I, 373.

„tionem, ad quod necessarium fuit ponere ea secundum „quorum rationem praedicabilia reducuntur ad ordinem, et se„cundo fuit necessarium ponere, qualiter ipsa praedicabilia ordi„nata sunt, et tertio, qualiter ex divisione colligitur cujuslibet „incomplexi diffinitio".

Tandem in fine logicae, libro I Elenchorum (tract. I cap. II, ubi totius operis rationem reddit, librum Divisionum inter eos enumerat, qui logicam a se traditam componant.

„Sed quia omnis argumentatio ad syllogismum reducitur, „erit logica hoc modo dicta de syllogismo, cuius quidem prin„cipia remota, quae sunt praedicata et subjecta, in libris de „Universalibus et Praedicamentis et Sex Principiis iam determinata „sunt ex antecedentibus et diffinitionibus eorum secundum po„testatem ipsorum, et per consequentia sunt determinata in libro „Divisionum". Praeterea in ipso libro Divisionum quinquies ad librum de Universalibus a se scriptum, ter ad commentarium suum in Praedicamenta Aristotelis lectorem remittit.

His testimoniis ex ipsius Alberti ore perceptis, nemo mirabitur auctorem libri de Divisionibus eandem in tractando viam sequi, quam Albertus in ceteris libris logicis servat. Etenim hic sicut alibi librum, quem commentariis illustrat, fere integrum in opus suum transfundit, verborum tenorem explanans, sententias aliqualiter obscuras dilucidans et interdum propria, vel etiam ex Aristotelicis libris deprompta, adjungens. Praeterea stilus, forma sermonis, modus argumentandi sic aliis Alberti libris congruunt, ut nec nux nuci possit esse similior.

Unde cum codicum, bibliographorum et ipsius auctoris testimonia uno ore in hanc sententiam concordent, nec quisquam hucusque tale opus ei abjudicare ausus fuerit, rursus cum etiam criteria interna idem probent, recte concludimus Albertum Mag- esse auctorem libri Divisionum.

## III. De codicibus manuscriptis.

Ad adornandam hanc editionem libri de Divisionibus Alberti Magni usus sum sex codicibus, quos paucis verbis describere liceat.

A. Codex Bibliothecae Cameracensis (Cambrai) n° 961 olim 859. Fuit quondam bibliothecae cathedralis ecclesiae, ibique n° 255 signatus. Est saeculi decimi tertii exeuntis, mem-

---

5 Opp. I, 305.
15 Opp. I, 373.

branaceus, foliorum numeratorum 96, duabus columnis, 50 linearum versibus qualibet pagina distinctis; altus 0,3 m. latus 0,21 m. Describitur in Catalogo generali Mss. Bibl. public. Galliae Depart. tom. XVII, Cambrai, p. 396.

Continet scripta quaedam Alberti Magni, quae ad logicam pertinent:

fol. 1—30 librum de Praedicabilibus.
fol. 30—74 librum de Praedicamentis et librum de Sex Principiis Gilberti Porretani.
fol. 74—81 librum de Divisionibus.
fol. 81—96 librum Perihermenias.

Codex hic nitide scriptus textum integrum, lacunis vix mutilatum, exhibet, codicibus caeteris multis in locis meliorem. Tamen mendis et viciis amanuensium et ipse non caret, et solus ad textum genuinum Alberti constituendum plane insufficiens est. Ad hunc codicem prope accedit:

B. Codex Bibl. Nationalis Parisiensis lat. 14382, anno 1291 scriptus, membranaceus, duabus columnis, 54 lineis qualibet pagina distinctis. Describitur suo loco in libro Inventaire des *manuscrits latins conservés à la Bibl. Nationale par Léop. Delisle (Paris 1863—71).*

*Continet ex scriptis logicis Alberti Magni:*

*fol. 1—36 librum de Praedicabilibus.*
*fol. 36—74 librum de Praedicamentis.*
*fol. 74—90 librum de Sex Principiis.*
*fol. 90—98 librum Divisionis.*
fol. 98—116 librum Perihermenias.
a. fol. 116 libros Topicorum.

Codex B eleganti literarum forma eminens specimen scripturae scolasticae haberi potest.

C. Codex Collegii Mertonensis Oxoniae sign. CCLIII, membranaceus in 4°, 180 foliorum, binis columnis exaratus, saeculo XIV in Anglia, ut literarum forma probat, scriptus; ex dono Joh. Burbach, Collegii Mertonensis socii, collegio oblatus. Describitur in Catal. Codd. Hss. qui in Collegiis aulisque Oxoniensibus hodie asservantur; confecit Henr. Coxe A. M. Bibl. Bodleianae Hypo-Bibliothecarius. Pars. I, Oxonii 1852, p. 100.

Continet ex commentariis Alberti Magni:

fol. 4—57 librum de Praedicabilibus.
fol. 57—113 librum de Praedicamentis.
fol. 113—142 librum Sex Principiorum.
fol. 142—165 librum Divisionum.

Sequitur altera manu fragmentum commentarii in librum de locis intrinsecis atque extrinsecis. Inc.: „Locus is, id est, qui est maximus, talis est" etc.

D. Cod. lat. 14707 Bibliothecae Nat. Paris. olim Victorinus 616, membranaceus, in folio, 192 foliorum, binis columnis exaratus, non multum post 1413 scriptus. Continet lucubrationes Alberti:

fol. 1—97 in Analytica Priora.
fol. 97—174 in Topica.
fol. 174—183 de Divisionibus.
fol. 183—192 opuscula Ludovici de Valleoleto O. Pr.

Codex describitur in Cat. Mss. lat. Bibl. Nat. a V. Ch. Leopoldo Delisle edito.

Cfr. de eo etiam Quétif et Echard, Script. Ord. Praed. I p. 789. — Denifle-Chatelain Chart. Univ. Paris. IV p. 233. — Opuscula Valleoletani partim impressa extant ap. Martêne et Durand Coll. ampl. VI col. 549—566.

E. Codex Vaticanus lat. 2118, membranaceus, in folio, 159 foliorum, binis columnis exaratus, 52 lineis qualibet pagina plerumque distinctis, quandoquo vero arctius scriptus. Continet scripta Alberti, quae ad logicam pertinent:

fol. 1—31 de Praedicabilibus.
fol. 31—63 de Praedicamentis.
fol. 63—71 de Postpraedicamentis.
fol. 71—93 Perihermenias.
fol. 93—109 de Sex Principiis Gilberti.
fol. 109—117 de Divisionibus.
fol. 117—159 de Analyticis Posterioribus.

Expl. fol. 159 col. 2 „Scriptus per me Baldassarem (!) Guilielmi de Perusio sub anno domini 1424, de mense octobris 18" die, die natali gloriosae festivitatis gloriosi Evangeliste s. Luce ad laudem gloriosi nominis Jesu, qui est benedictus in saecula. Amen".

Codex literis cursivis exaratus est. Capitulorum inscriptiones tam in textu, quam in margine inferiori foliorum leguntur.

F. Codex Bibliothecae s. Marci Venetiarum, signatus Z. L. CCXCIV. Fuit olim Cardinalis Bessarionis a clerico Waltero de Valle saec. XV ineunte scriptus. Est membranaceus, 160 foliorum, duobus columnis 43 qualibet pagina lineis distinctis. Continet Alberti Magni libros:

fol. 2—45 de Praedicabilibus.
fol. 46—97 de Praedicamentis.

fol. 95—119 de Sex Principiis.
fol. 119—131 de Divisionibus.
fol. 131—160 Perihermenias.

Describitur ap. Valentinelli: Bibl. Manuscr. ad s. Marci Ven. tom. IV p. 125 (Venetiis 1891). Scriptura elegantem formam aetatis humanisticae exhibet.

His dictis, quo cognationis vinculo singuli libri inter se conjuncti sint, exponamus. Primo observandum omnes ad eandem textus editionem pertinere. Nec ullum vestigium extat duplicis recensionis ab Alberto editae, sed ab uno originali archetypo omnes codices licet per diversos rivulos descendunt. Nulla enim sententiae diversitas, nullae interpolationes vel omissiones occurrunt, quae non ex negligentia, vel ex correctionibus importunis amanuensium ortum habeant. Lacunae omnes ex hoc proveniunt, quod librarius in transcribendo ab uno vocabulo ad simile transit, interpositis omissis. Additiones vero seu interpolationes quandoque in textu habentur, ubi corrigens erratum addendo genuinum verbum vel enuntiatum, mendum delere omisit. Plurima tandem vitia in textum irrepserunt, quia librarii verba ex sua sententia corrupta incredibili levitate et imperitia emendare tentarunt. Sic adiectiva et pronomina saepissime quoad genus et casum conformarunt nominibus substantivis loco vicinioribus, licet secundum regulas grammaticae et sensum enuntiati ad ea minime referenda erant.

Porro in hujusmodi vitiis ac corruptelis quandoque, licet raro, omnes codices conveniunt. Unde eos ab uno archetypo dependere necesse est. Inde vero in duo genera seu familias vel classes, ut dicunt, dividuntur.

Prima classis complectitur quatuor codices: Cameracensem, utrumque Parisiensem, Oxoniensem; altera codices Italos Vaticanum et Venetianum. Codices primae classis in vitiis et mendis plerumque concordant; locos vero hic deturpatos in codicibus secundae classis plerumque correctos et integros invenies. E contra vitia, quae in codicibus secundae classis inveniuntur, in libris primae classis occurrere non solent.

Sic ex collatione utriusque generis codicum textus genuinus Alberti fere ubique constitui potuit.

Menda vero perpauca, quae omnibus codicibus communia sunt, vel ex contextu Alberti vel ex textu Boetii, ubi licuit, correximus. Textum codicum A—D, seu primae classis, generatim praeferendum duxi, tum propter codicum antiquitatem — codices enim Cameracensis et alter Parisiensis sunt saec. XIII, Oxoni-

ensis saec. XIV — tum, quia vitia, quibus inquinantur, levioris et praesertim simplicioris corruptelae formam prae se ferunt, quae magis amanuensis negligentiam quam correctoris importunitatem arguunt. Unde hunc textum propius ad ipsius Alberti originale accedere puto. Optimus sane est codex Cameracensis. Fere nullas enim habet verborum lacunas, et, licet mendis non careat, multis in locis meliores caeteris lectiones servavit.

Codex Parisiensis, quem litera B signavimus, cum Cameracensi intima cognatione cohaeret, sed eleganti formae non plene respondet textus ingenium. Tredecim enim verborum lacunas habet et pluribus corruptelis foedatus est quam A. Quibusdam tamen in locis ab erroribus aliorum declinat.

Libri vero Parisiensis D et Oxoniensis C, recentioris aetatis, ut diximus, iisdem vitiis, quibus A et B maculantur, quibus propria addiderunt. Proinde ad correctionem textus vix quidquam conferunt.

Codices secundae classis, Romanus scilicet et Venetianus, ex optimo fonte derivantur. Multis enim in locis saniorem textum quam codices primae classis exhibent. Sed temporum decursu viciis cujuscunque generis et ipsi inquinati sunt. Raro in locis corruptis cum libris primae classis, plerumque inter se conveniunt. Quinque lacunae sunt illis communes. Unde ab eodem fonte eos fluere oportet. Tamen neuter apographum alterius. Etenim sua propria errata et lacunas unusquisque habet.

Codex Vaticanus prorsus negligenter scriptus quatuordecim lacunis scatet. Etiam praeter regulas, circa abbreviaturas observari consuetas, syllabae vel particulae verborum haud raro omittuntur. Ipse tamen solus locum quendam (62, 37—38) in caeteris codicibus mutilum refert. Codex autem Venetianus eleganter et nitide exaratus, licet mendis, ut diximus, non careat, Vaticano accuratius videtur transcriptus. Unde toti editioni, loco codicis Cameracensis supponi poterat, nisi praeter recentem aetatem, qua scriptus est, tam contra ipsum quam contra codicem Vaticanum etiam alia ratio militaret. Correctionis arbitrariae suspicione hi duo codices non sunt maiores. Quandoque enim, textum valde importune corrigentes, verbis Alberti aperte *vim intulerunt*. Quandoque etiam deprehenduntur enuntiata barbaris quidem vocibus, sed ab ore scolasticorum haud alienis, in magis polita mutasse. Unde, quum ita res se habeat, ubi codices primae classis concordant et obvium sensum continent, lectiones eorum praeferendas duxi.

His dictis, ut ratio, qua codices inter se ordinantur, facilius perspiciatur, tale stemma eorum proponendum duxi:

Archetypus

x y

A B C D E F.

## IV. De ratione editionis.

Codices sex, quos huic editioni adhibui, non ipsos adivi, sed plagulas phototypicas ab ipsis acceptas et a praefectis bibliothecarum mihi benigne transmissas. Primo eas attente perlegi et fusiores passus transcripsi, ut de natura et indole cuiuslibet codicis me certiorem redderem. Deinde codicem Cameracensem, utpote magis integrum et, prout mihi videbatur, ad originale Alberti propius accedentem, toti editioni tamquam fundamentum supponendum duxi, illumque exacte transscripsi. Quo facto, cum eo contuli codicem Parisiensem (B), quem ad eandem classem pertinere lectorem in superiori paragrapho edocui, et utrumque codicem secundae classis, Romanum scilicet et Venetianum. Variantes lectiones diligenter notavi. Tandem, locis adhuc dubiis cum textu codicum Parisiensis (D) et Oxoniensis (C) collatis, adhibitis etiam Aristotelis, Boethii, Porphyrii libris logicis, quorum verbis frequenter utitur Albertus, textus recensionem absolvi.

Lectionum autem variarum, quas notavi, ingens copia erat, quarum plurimae manifestae corruptelae. Idcirco eas tantum in apparatum meum criticum assumpsi, quae vel ad judicandum de ingenio codicum, vel ad textum ipsum stabiliendum alicujus momenti esse videbantur. Meum enim duxi, in omnes librariorum sordes inquirere eosque everrere, minime vero, tale degustans ferculum lectoribus proponere. Omisi igitur notare vitia orthographica vel grammatica, correctiones amanuensium manifeste erroneas, lacunas ex negligentia scriptoris provenientes, tandem particulas, voce quidem diversas, sed quae prorsus idem significant, ut sunt:

| | |
|---|---|
| illud — id vel istud; | tamen — autem; |
| ergo — igitur vel ideo: | quis — aliquis; |
| etiam — quoque; | neque — nec; |
| quia — quod; | vel — sive etc. |

In talibus enim impossibile est divinare, quidnam auctor in originali scripserit.

Neglexi praeterea differentias in verborum constructione et structura textus, quando ad rem nihil faciebant, ut sunt saepe ordo et series verborum v. gr.: generis divisio — divisio generis; perficimus diffinitionem — diffinitionem perficimus etc.

In indicandis lectionibus variantibus viam, ut dicunt, positivam ingressus sum, primo lectionem receptam, deinde rejectas adducens. Fontes, ex quibus Albertus doctrinam suam hausit, sunt prae ceteris Organum Aristotelis et Introductiones Porphyrii. Praeter Organum vero ex Aristotelis operibus citat Physicam ter, libros de Anima bis, librum de Generatione et Corruptione sicut et Metaphysicam semel. Platonis, Gilberti Porretani, Averrois, Algazel sententias semel, Avicennam quinquies allegat (cfr. Indicem). Locos hos in dictorum auctorum libris, eos iterum atque iterum pervolvendo, requisivi, sed haud raro oleum et operam perdidi, quum magis ad sententiae veritatem, quam ad verba Albertus in citando attendat. Porro locos Porphyrii ex editione operum Boethii Vindobonensi volumine primo (Corp. Script. Eccl. Lat. vol. 48), Aristotelis ex editione Berolinensi accepi, Avicennae operum editione Venetiana (1508) usus sum.

Textum libri de divisione Boethii sec. editionem Migne, quibusdam tamen locis correctis, singulis capitulis praeposui. Nisi enim textum hunc prae oculis habueris, rectum judicium ferre de Alberti labore non poteris.

Codices signavi literis A—E, quia sic tam secundum antiquitatem, quam secundum cognationem, qua ad invicem referuntur, comprehendi poterant.

Superest ut gratias referam praefectis bibliothecarum Vaticanae, Parisiensis nationalis, Oxoniensis Collegii Mertonensis, Venetianae S. Marci, Cameracensis, qui, ut plagulae phototypicae codicum exprimerentur, liberaliter indulserunt. Speciales vero gratias debeo viris claris Jo. Ehrle, Praefecto bibl. Vaticanae, Aemilio Chatelain, Professori Sorbonico, Maximiliano Horten Professori Universitatis Bonnensis, qui me in conficienda hac editione consiliis suis maxima urbanitate adiuverunt.

Scripsi Düsseldorpii die 22. Julii 1913.

## Codices.

A = Cameracensis 961 saec. XIII.
B = Parisiensis 14382 saec. XIII.
C = Oxoniensis Merton Col. CCLIII saec. XIV.
D = Parisiensis 14701 saec. XV.
E = Vaticanus 2118 saec. XV.
F = Venetianus S. Marci Z. L. CCXCIV saec. XV.

---

## Libri saepius citati.

Alberti Magni opera omnia Parisiis. 1890—99.
Aristotelis opera omnia. Vol. III Versio latina. Berolini 1831.
Avicennae opera. Venetiis 1508.
Die Metaphysik Avicennas übers. u. erl. v. Max Horten. Halle 1907.
Boethii opera omnia curante J. P. Migne. Tomus posterior. Patrol. lat. 64. Paris 1847.
Boethii in Isagogen Porphyrii Commenta. Corp. Script. Eccl. Lat. 48 Vindobonae 1906.
Thomae Aquinatis opera omnia. 34 vols. Parisiis 1876–1881.

N.B. Versio latina operum Aristotelis ed. Berol. lectorem ad foliorum paginationem textus graeci remittit.

# B. Alberti Magni Ord. Praed.
Ratisbonensis episcopi.

## Commentarii in librum Boethii De Divisione.

---

# Tractatus primus.

## De his, quae sunt ante scientiam determinanda.

### Capitulum primum.
### De utilitate doctrinae.

---

### Textus Boethii.

Quam magnos studiosis afferat fructus scientia dividendi, quamque apud peripateticam disciplinam semper haec fuerit in honore notitia, docet et Andronici, diligentissimi senis, de divisione liber editus, et hic idem a Plotino gravissimo philosopho comprobatus, et in libri Platonis, qui Sophistes inscribitur, commentariis a Porphyrio repetitus, et ab eodem per hanc introductionis laudata in Categorias utilitas. Dicit enim fore necessariam generis, speciei, differentiae proprii accidentisque peritiam, cum propter alia multa, tum propter utilitatem, quae est maxima partiendi. Quare quoniam maximus usus est, facillimaque doctrina, ego quoque id, sicut pleraque omnia, Romanis auribus tradens, introductionis modo, habitaque in eandem rem, et competenti subtilique tractatione, et moderata brevitate, perscripsi, ut nec anxietas decisae orationis et non perfectae sententiae, legentium mentibus ingeratur, nec putet supervacuam loquacitatem harum rerum inexperiens, rudis insolensque novi, audientium mentes habere;

---

3 A B C Incipit liber divisionis; D E F divisionum. — 8 E F doctrinae; *om.* A-D.

nec ullus livor, id quod et arduum est natura, et ignotum nostris, nobis autem magno et labore et legentium utilitate digestum, obliquis morsibus obtrectationis obfuscet; dentque potius viam studiis, nunc ignoscendo, nunc etiam comprobando, quam frena bonis artibus stringant, dum quidquid novum est impudenti obstinatione repudiant. Quis enim non videat plurimum ad bonarum artium valere defectum, si apud mentes hominum nunquam sit desperatio displicendi? Sed haec hactenus.

## Commentum Alberti.

Cum a principio logicae determinatum sit, quodlogica est scientia docens per notum venire ad cognitionem ignoti, et sint tres eius partes secundum tres actus rationis venientis ad notitiam ignoti per notum, quorum primus est ordinare ea, per quae venitur ad ignoti notitiam, secundus autem ordinata componere, tertius autem composita ad decursum ratiocinationis colligere, similiter autem, cum certum sit per divisionem nos venire ad notitiam totius divisi, nec aliter quocunque modo compositum nos posse cognoscere, nisi sciamus ex quot et quibus et qualibus sit, adhuc cum omne, quod dividitur, compositi cuiusdam habeat modum, procul dubio scientia divisionum est de logicae integritate, et tractandum de divisione in prima parte, in qua docetur modus veniendi per notum ad notitiam ignoti simplicis sive incomplexi secundum rationis actum, qui est ordinare praedicabilia et subiicibilia in logicis. Sicut enim diffinitione devenitur in notitiam incomplexi per priora et essentialia, sic per divisionem venitur in notitiam incomplexi compositi per posteriora, quae tamen priora sunt quoad nos. Cum igitur in praehabitis libris iam determinatum sit de ordine divisibilium et dividentium, iam superest, ut de ipsa tractetur scientia dividendi. Haec enim scientia studiosis multos affert fructus utilitatis. Haec etiam apud Peripatheticorum disciplinam semper fuit in honore. Quamvis enim omnis notitia sit de numero bonorum honorabilium, haec tamen prae multis honore digna est, utilia docens et a maximis doctoribus comprobata. Andronicus enim senex, in quo studium non senuit, etiam in senectute dili-

---

12 A secundum tres; B C D cuius tres; E F cuiusmodi sunt tres. — 13 F per notum; *om.* A-E.

16 Eandem logicae divisionem S. Thomas de Aq. exhibet in principio commentarii in libr. Perihermenias (S. Thom. opp. vol. 22 p. 2. col. 1).

gentissime librum de Scientia Dividendi concripsit, cuius sententiam Boethius, translatione non verborum sed sententiarum, in libro suo de Divisionibus transtulit. Et hic idem quidem liber Andronici comprobatus est a Plotino, philosopho morali, qui gravitate morum et honestate talis fuit, quod non probasset nisi ea, quae secundum rationis veritatem essent comprobanda. Est enim liber hic in commentario Porphyrii, quem scripsit in librum Platonis, qui ‚Sophistes' inscribitur, valde commendatus et repetitus pro magna parte sententiae, et etiam ab eodem Porphyrio istius libri laudata est utilitas per introductiones, quas scripsit in Aristotelis Cathegorias. In Isagogis enim dicit: fore necessariam generis, speciei, differentiae, proprii et accidentis peritiam, cum propter alia multa, diffinitiones scilicet et demonstrationes, tum propter utilitatem, quae maxima est in scientia partiendi sive dividendi. — Propter quod, quia huius scientiae maximus usus est sive utilitas, ego quoque, dicit Boethius, id, sicut plura alia graecorum opera romanis auribus sive latinis tradens, ut scilicet de graeco in latinum transferantur, introductionis modo, qui facilis est usus, perscripsi, habita tamen in eadem divisionis scientia competenti secundum auditores subtilique secundum materiam, de qua est intentio, tractatione, ut et materiae tractatus satisfaciat et audienti. Utendum etiam in perscriptione istius scientiae moderata brevitate, ita scilicet, ne anxietas sive brevitas decisae sive nimis detractae orationis et expositionis et imperfectae sententiae, quae inexposita non intelligitur, sive minus intellectae, ingeratur mentibus legentium, et sic confundantur intellectus eorum. Non enim est aequum, quod inexpertae mentes et insolentes, disciplina studii non cohibitae ad aliquam disciplinam, quae mente sunt novi audientes, quae semper nova audire desiderant, non inmorantes auditis per intentam

18 E F id; *om.* A-D. *Cfr. textum Boethii.* — 20 E F tradens; *om.* A-D. — 21 A-C est, usus sum, habita; D est . . sum; E F est usus sententiae perscripsi, habita etc. *Cfr. textum Boethii.* — 27 E F detractae; A B decurtatae; C D detractatae. — 29 F sive . . . ingeratur; A-E sententiae . . . ingerantur. — 33 A desiderant; BEF desiderat; CD non desiderat.

8 Narrando hic quaedam de Andronico, Boethio, Plotino et Porphyrii in Sophisten Platonis commentario, nonnisi textum Boethii hic prae oculis habuisse videtur Albertus. — 16 Porph. Isag. ed. II, lib. I, cap. 5. Corp. Scr. Eccl. Lat. vol. 48 p. 147,5—11.

studii diligentiam, supervacuam de his rebus habeant loquacitatem. Medio ergo modo inter prolixitatem et brevitatem procedemus, ne brevitas nimia sententias occultet, nec etiam prolixitas rerum facilium oneret taediosos. Contra haec autem, quae dicta sunt, quidam obiiciunt dicentes Aristotelem secundum hoc insufficientem in logicae traditione. Et hoc, quod dicunt, perfrivolum est et inane. Non enim est inconveniens Aristotelem, ut hominem, in multis imperfectum fuisse; vel forte Aristoteles haec tradidit, sed ad nos liber eius non devenit, ut dicit Avicenna; vel forte, quia alius hanc scientiam compleverat, approbavit, quod factum fuerat; et multis aliis modis ad hoc potest responderi. Certissimum enim est, hanc scientiam esse de logicae integritate, quia sine ista scientia non haberemus artem veniendi in notitiam ignoti per notum quoad nos et posterius secundum naturam. Nullus ergo livor invidiae detrahentium studiis humanis obliquis morsibus sive detractionibus obfuscet id studium, quod arduum quidem, quantum ad naturam scibilis, quod quaeritur, et quod ignotum fuit latinis auribus et ideo necessarium ad habendam perfecte philosophiae scientiam, et quod magno nostro labore transferendi ad utilitatem legentium a nobis est digestum, ita scilicet, quod sententias continet apertas, nulla oneratas prolixitate, sed potius, qui hunc librum legerit, suo exemplo det sive paret viam studiis, quibus etiam alii ad studium provocentur. Viam autem dabit, si his, quae legerit, vel ignoscat, si imperfecte tradita sunt, vel comprobet ea, quae rationis habent perfectionem. Hoc enim melius est, quam quod suis detractionibus stringant frena studentibus, quibus a studio bonarum artium motu detractionum retrahantur, dum quidquid novum est in bonarum artium inventione, imprudenti repudiant obstinatione. Impudens enim est, qui solam novitatem studiis obiicit, et non ex ratione vel probat vel repudiat audita. Quis enim tam lippus non videat, plurimum ad bonarum artium studio inveniendarum valere defectum, si apud hominum perversorum mentes nunquam sit desperatio displicendi, dum omnis humanae inventionis, quantumcunque ratione perfecta sit, semper expectatur detractio, dum e contra multas de inventis opporteret grates rerecipere. Sed haec hactenus de laude scientiae et nocumento

---

16 F id studium; A-E ad studium. — 24 A his quae; E F is qui; B-D his qui. — 25 Tradita sunt. A-D tradita sententiae. — 26 E F quod; *om.* A-D. — 33 E F mentes; *om.* A-D. — 35 A E F quantumcunque; B C D quacunque.

detractionis dicta sunt. Ex his autem, quae dicta sunt, patet, quid huius scientiae subiectum, quia divisibile sive distinguibile in partes intra ipsum potentia vel actu contentas. Hoc enim in communi habet unam aliquam per analogiam rationem, a qua unitate una est scientia. Patet etiam quis modus. Habet enim scientiae modum passiones probans de subiecto et subiecti partibus. Auctor autem, ut putatur, primus Andronicus, secundus autem apud latinos Boethius. Causa suscepti operis, ne Latini vel Graeci scientia carerent dividendi. Quamvis autem in quinto primae philosophiae distinguatur, quotiens dicitur unumquodque, tamen scientia dividendi ibi nulla traditur, eo quod haec scientia pertinet ad eum, qui sermonem considerat secundum quod refertur ad significandam rem, quae est sub voce, et ille est logicus secundum primam partem logicae, quae docet in singulorum incomplexorum notitiam devenire. Est etiam modus doctrinae medius inter introductorium et subtilem, ut propter facilitatem docendi subtilitas non negligatur, quam exigit altitudo materiae, de qua tractatur; et ex his patent ea, quae ante scientiam erant inquirenda.

## Capitulum secundum.

### Quot sunt modi divisionum.

## Textus Boethii.

Nunc divisionis ipsius nomen dividendum est, et secundum unumquodque vocabulum uniuscuiusque propositi proprietates partesque tradendae sunt. Divisio namque multis modis dicitur. Est enim divisio generis in species. Est rursus divisio, cum totum in proprias dividitur partes. Est alia, cum vox multa significans in significationes proprias recipit sectionem. Praeter has tres est alia divisio, quae secundum accidens fieri dicitur. Hujus autem est triplex modus, unus cum subjectum in accidentia separamus, alius cum accidens in subjecta dividimus, tertius cum

2 A-D F quia divisibile sive distinguibile; E quia divisae scientiae distinguibile. — 4 F unam aliquam; A-D una aliquo; E una aliquam. — 5 E scientiae modus; A-D F *om.* scientiae.

10 Arist. Metaph. V p. $1025^b$ — 1028,5.

accidens in accidentia secamus: hoc ita fit, si utraque eidem subjecto inesse videantur. Sed harum omnium exempla subdenda sunt, quatenus totius hujus divisionis ratio elucescat.

## Commentum Alberti.

Nunc autem, quae de divisionibus in communi intendimus et de multipliciter dicto, non potest tractari in arte vel scientia, nisi prius distinguatur. Ideo divisionis nomen est distinguendum, et secundum unumquodque divisionis distinctae vocabulum sive nomen, partes et proprietates uniuscuiusque propositi per divisionem sunt tradendae singillatim. Divisionis enim nomen multis modis dicitur secundum analogiae communitatem. Dicitur autem sex modis. Est enim divisio generis in species. Est rursus alia divisio, cum totum integrale vel quasi integrale dividitur in proprias partes. Est tertia, cum vox multa significans in significationes proprias recipit sectionem. Praeter autem tres istas, quae inductae sunt, est alia divisio, quae secundum accidens fieri dicitur, et huius est triplex modus. Unus quidem, cum subiectum unum in accidentia separamus. Aliter, cum accidens in subiecta dividimus. Tertius vero, cum accidens in accidentia separamus. Hoc autem fit, si utraque accidentia eidem inesse subiecto videantur. Horum autem omnium divisionum exempla subiicienda sunt, quatinus totius huius divisionis eluceat ratio. Non enim dividitur aliquid nisi in ea, quae aliquomodo sunt in ipso. Si autem insunt, aut insunt substantialiter, aut per accidens, Si substantialiter, aut secundum substantiam formae, aut secundum substantiam materiae. Si insunt secundum substantiam formae, aut insunt secundum formam rei, aut secundum formam sermonis, cuius, ut dicit Gilbertus, forma significatio est vel relatio ad significationem. Si insunt secundum formam rei, sic est divisio generis in species. Si secundum formam sermonis, sic est divisio vocis in significationes. Si autem insunt secundum substantiam materiae, erit divisio totius in partes. Et quia haec tres conveniunt in hoc, quod divisio fit in eis in ea, quae substantialiter insunt, ideo simul ponuntur et ab aliis discernuntur. Praeter enim istas sunt divisiones in ea, quae per accidens sunt in eo, quod dividitur, et hoc vel est secundum comparationem subiecti ad accidentia, vel e converso secundum comparationem accidentis ad accidens; et ideo non possunt esse plura genera divisionum, quae ad ista non referantur.

---

18 A-E aliter; F alter. — 20 E si; A-D ne; F sit.

Si autem quaeritur, quae sit ista divisio, dicendum, quod est multiplicis per analogiam sive proportionem dicti, quae uno modo ad divisionem generis reducitur, et alio modo ad divisionem vocis in suas significationes. Secundum enim quod aliquid unum est in omnibus divisibilibus, sicut partium continentia secundum divisionem generis, sic imitatur univocum. Secundum hoc autem, quod non per unam rationem respicit nomen ea, quae divisibilia sunt, sic imitatur aequivocum. Continentia enim partium non per unam rationem est accidentalibus et substantialibus, nec in substantialibus per unam est rationem secundum formam continere partes et secundum materiam, nec per unam rationem est continere partes secundum formam rei et secundum formam sermonis, et ideo analogicam, ut diximus, habet in hac scientia divisibile communitatem. Si autem quaeritur, de quo dicitur per prius, dicendum, quod per prius dicitur de his, quae substantialiter dividuntur; et inter ea dicitur per prius de his, quae formales habent partes; et adhuc primo omnium dicitur de generis in species divisione, quae formalibus differentiis constitutis exeunt a genere. Haec igitur divisiones in genere, de quibus singillatim agendum est, ut certa tradatur de unoquoque istorum doctrina. Sic enim scitur uniuscuiusque divisibilis et dividentium natura.

---

# Tractatus secundus.

## De divisionibus singillatim.

## Capitulum primum.

### De manifestatione cuiuslibet divisionis per exemplorum positionem.

---

## Textus Boethii.

Genus dividimus in species cum dicimus animalium alia rationalia, alia irrationalia; rationalium alia mortalia, alia immortalia. Vel cum dicimus colorum alia alba, alia nigra, alia media. Oportet autem omnem divisionem generis in species, aut in

---

6 F sic imitatur univocum; A-E *om.* sic; A-D *om.* univocum. — 8 F quae divisibilia sunt; E *om.* quae; A quod divisibilia; B C D indivisibilia. — 18 E constitutis; A B F constitutivis.

duas fieri partes, aut in plures. Sed neque infinitae species esse generis possunt, nec minus duabus. Hoc autem, cur eveniat, posterius demonstrandum est. Totum in partes dividitur, quoties in ea, ex quibus est, compositum unumquodque resolvimus, ut cum dico: domus aliud esse tectum, aliud paries, aliud fundamentum, et hominem conjungi anima et corpore, cumque hominis dicimus partes esse Catonem, Virgilium, Ciceronem et singulos, qui, cum particulares sint, vim tamen totius hominis jungunt atque componunt. Neque enim homo genus, nec singuli homines species sed partes, quibus totus homo conjungitur. Vocis autem in significationes proprias divisio fit, quoties una vox multa significans aperitur, et ejus pluralitas significationis ostenditur, ut cum dico canis, quod est nomen, et hunc quadrupedem latrabilemque designat et coelestem, qui ad Orionis pedem morbidum micat. Est quoque alius marinus canis, qui in immoderatam corporis magnitudinem crescens, cerberus appellatur. Sed hujus divisionis duplex modus est. Aut enim unum nomen multa significat aut oratio, jam nominibus verbisque composita, et nomen quidem multa significat, ut id, quod supra proposui. Oratio vero multa designat, ut: aio te, Eacida, Romanos vincere posse. Et nominis quidem per significationes proprias divisio aequivocationis partitio nuncupatur, orationis vero in significationes proprias distributio ambiguitatis discretio est, quam Graeci amphibolian vocant, ita ut nomen multa significans aequivocum; oratio vero multa designans amphibola atque ambigua praedicetur.

## Commentum Alberti.

Genus autem in species dividimus, cum dicimus: *animalium alia rationabilia*, alia *irrationabilia*, et: *rationabilium alia mortalia*, alia *immortalia*. Quamvis rationale et mortale differentiarum sint nomina, tamen, quia per differentias species constituuntur, quando generibus adiunguntur, ideo eadem divisio est generis per differentias et per species, praecipue cum differentia, quae est generis divisiva, sit speciei cum genere constitutiva. Sed attendendum, quod, sicut dicit Avicenna, *nulla differentia est per privationem vel negationem*, et ideo privativa ponuntur loco affirmativorum per negationem oppositae differentiae, quia nomina propria

36 Avicenna Metaph. V cap. 7. (Horten p. 337) — Logica I cap. de differentia: „Hoc autem non est nisi in differentiis negativis sive privativis, quae vere non sunt differentiae.“ (fol. $8^{b}$ col. 2.)

differentiarum non habemus. Differentia enim forma est constitutiva, et ideo positive et non negative vel privative designanda. Hoc autem etiam alia fit de causa, ut scilicet divisio generis per opposita fieri significetur, et ideo altera differentia privative vel negative nominatur. Oppositio enim prima causa divisionis est, propter quod dividentia cum modo oppositionis oportet designari. Idem autem dicendum de hoc, quod dicitur mortale, quod, quamvis in voce positivum sit, tamen secundum rem privatio est. Mors enim, a qua dicitur, est privatio. Ponitur autem cum rationali pro differentia hominis, quae nomen non habet secundum eos, qui rationale in deos et in homines, ut genus, dividunt. Et ideo loco huius Avicenna et Algazel *lati unguis* ponunt sic: *rationalium aliud lati unguis aliud non*, cum tamen lati unguis esse magis proprium sit, quam differentia hominis. Sed, sicut diximus, cum nomen proprium differentiae non habemus, aliquando designamus eam privatione, aliquando autem proprio loco differentiae proprium ponentes.

Eodem autem modo in generibus accidentium fit divisio generis in species, cum dicimus: *colorum alia sunt alba, alia nigra, alia medio colore colorata.* In omnibus enim his color genus est, a quo sub diversis differentiis educimus album sub differentia, quae est disgregativum visus esse, et nigrum sub alia coloris differentia, quae est esse visus congregativum, et sub alia differentia medium, quae est partim esse congregativum et partim disgregativum. Sed hic advertendum est, quod omnem generis divisionem, ut innuit Aristoteles in Topicis, oportet ad minus fieri aut in duas partes sive species, aut in plures, quia aliter potentia generis non esset amplior quam potentia speciei, quod est inconveniens, quia sic sequeretur, quod species non esset in genere potestate. Eorum enim, quae aequalis sunt communitatis, neutrum est in alio. Sequeretur etiam ex hoc, quod species non supponeretur generi, quae omnia inconvenientia sunt. Si autem aliquis dicat, quod Avicenna dicit, quod *universale dicitur eo, quod*

16 A C D F aliquando; B aliqua; E *om.* — 16 A eam; B-F *om.* — 27 E F innuit; A-D vult.

12 Avicenna, Log. I cap. de genere: „Exemplum autem huius hoc est, quum dicitur, quod homo est animal latarum unguium, erectae staturae, eminentium carnium, visibile, vel cum dicitur hoc totum absque animali". (fol. 6 col. 2.) — 27 Arist. Top. IV cap. 3. p. 123. 30—33. — 35 Avicenna Metaph. V cap. 1 (Horten p. 284 cfr. p. 309 ss.).

aptum natum sit praedicari de pluribus, quamvis forte de uno solo vel etiam de nullo praedicetur secundum actum, et sic possit esse genus, quod aptum sit praedicari de pluribus differentibus specie, quamvis actu de una sola specie vel de nulla praedicetur, dicendum, quod hoc non potest esse verum de genere, ut genus est, propter rationes, quae inductae sunt. Divisio enim generis per differentias est divisio potentiae per formas, quae per inchoationem essentialem sunt in ipso, et quod inchoatum non sit in actu, est naturae defectus et imperfectio. Et ideo, si est genus, oportet, quod plurium sit inchoatio in ipso, et quod plures ad minus duas habeat species. Sic autem non se habet species ad individua, quia totum formale esse speciei est in quolibet individuo, et non fit individuorum multiplicatio nisi secundum materiam, et ideo universalitas speciei potest esse in uno, vel etiam in nullo, dummodo aptum natum sit esse in pluribus. Quamvis autem genus velit dividi in plures species, tamen infinitae species sub genere esse non possunt, quia multiplicatio formalis, cum sit terminativa et unitiva potentiae ipsa forma, non potest esse infinita sed sola, ut dicit Plato, multiplicatio materialis. Hac igitur de causa non possunt esse species, in quas genus dividitur, minus duabus. Hoc autem posterius est demonstrandum aliter, quam hic probatum sit. Talis igitur, ut breviter et exemplariter dicatur, est generis divisio.

Totum vero in partes dividitur, quoties unumquodque materialiter et integraliter compositum resolvimus in ea, ex quibus compositum est ut, cum dico: huius domus aliud est tectum, aliud paries, aliud autem fundamentum; quae divisio fit multis modis. Fit enim per partes integrales, quando fit in partes, in quibus integritas alicuius consistit, sicut in exemplo inducto domus integritas consistit in his, quae, cum coniuncta sunt, est domus integra. Propterea domus non dividitur in ligna et lapides nisi sicut in materiam, quia illa multipliciter possunt convenire, quod non integrant domum. Sed fundamentum et paries et tectum nunquam debite conveniunt, nisi integram domum constituant. Talis etiam divisio est, quando dicimus, hominem coniungi ex anima et corpore, quae debite convenientia constituunt hominem, quamvis anima et corpus non per coniunctionem, sed per unionem animae ut formae et corporis ut materiae, hominem constituant, eo quod

---

1 E F natum; *om.* A-D. — 18 A-D F sub genere esse; E in genere subesse.

homo non dicit formam coniunctionis sed naturae, et propterea istae partes sunt essentiales aliquo modo; tamen quia sunt ambae materiales ad formam totius, quae significatur per hoc nomen homo, ideo divisio totius est in partes, quae materialiter sunt in toto, non quod anima sit materia vel materiae pars, sed ideo, quia materialis forma est materiae et partis ad formam totius, quae totius esse est designativa. Adhuc autem cum hominis partes dicimus esse Catonem, Virgilium, Ciceronem et singulos, qui horum comparticulares sunt, hi tamen particulares iungunt sive componunt vim sive virtutem totius et communis hominis. In hac enim divisione homo non est genus, nec singuli homines sunt species hominis, sed singulos dicimus partes quasdam, quibus totus homo in sua communitate coniungitur. Hoc autem sic est intelligendum, quod homo dupliciter consideratur, scilicet secundum substantiam et secundum potestatem. Si consideratur secundum substantiam, partes habet materiales corpus et animam, quia haec coniuncta simul materialiter substant forma totius, quae significatur in nomine hoc, quod est homo. Si autem homo consideretur secundum potestatem, quam habet in ambitu suae praedicationis et communitatis, tunc homo est id, quod aptum natum est esse in multis et de multis. Et haec potestas in actu est, quando de multis actu praedicatur, in quibus et de quibus est secundum actum. Haec igitur potestas, secundum quod in actu est, colligitur ex particularium hominum eductione, et hoc modo particularia sunt partes, quarum collectio constituit communitatis potestatem, quae partim est in uno et partim in alio, in omnibus simul est secundum totum, et hoc modo etiam species aliquomodo integrant potestatem generis, sicut in scientia de Universalibus est declaratum.

Vocis autem divisio fit in significationes proprias, quae formae vocis sunt, ut dicit Gilbertus et Avicenna dicit idem, quoties una vox significativa multorum aperitur per multiplicis vocis in sua significata distinctionem, et demonstratur pluralitas significationis vocis illius, ut cum dico quaerenti, quid est canis, et respondeo, quod canis est nomen, quod significat et hunc latrantem et quadrupedem, et quod a

9 A-D comparticulares; E F particulares — 14 A-E dupliciter; F simpliciter. *Ita corrigendum putavit* E *quia verba, quae mox sequuntur inter* substantiam — substantiam *in archetypo suo non habebantur, prout ex simili lacuna in F apparet.* — 21 A-D F in multis et de multis; E in pluribus et de multis. — 30 divisio fit *supplendum ex textu Boethii hic; om* A-F.

29 Albertus de Univ. tract. III cap. 1 in fine; (I p. 44).

casu alterius institutionis vel fortuna significat stellam micantem coelestem, quae lucet ad morbidum pedem imaginis coelestis, quae Orion dicitur, et est stella infausta, morbida, nocumento mordax sicut canis. Et est quoque adhuc alius marinus piscis, quem nomen canis a tertia institutione casuali significat, qui immoderata quantitate corporis magnitudine super latrabile crescens cerberus appellatur. Multo enim maior est cane latrabili. Unde quamvis in pelle et figura similis sit latrabili, tamen, quia naturalem latrabilis quantitatem excedit, probatur, quod non una ratione canis de latrabili et marino dicitur sed aequivoce. Sic ergo vox in suas magis determinatur quam dividitur significationes. Huius tamen divisionis duplex est modus. Est aliquando multiplicitas ista in incomplexo, aliquando autem in complexo. In incomplexo quidem, quando unum nomen incomplexum multa significat actu institutione diversa. In complexa autem voce, quando oratio, verbis et nominibus composita, enuntiative multa significat, sicut idolum respondit Eacidae, quando quaesivit, si de Romanis esset triumphaturus. Sic enim respondit:

„Aio te Eacidam Romanos vincere posse",

quae ratio significat, et Eacidam posse vincere Romanos, et quod Romani possint Eacidam vincere, diversimode constructa ex eo, quod Eacidam potest esse suppositum vel appositum in oratione. Et nomen quidem multa significat, ut canis, quod supra positum est, oratio vero multa designat, ut patuit in exemplo, quod positum est. Et nominis quidem per proprias significationes divisio vocatur divisio sive distinctio aequivocationis, orationis vero in significationes proprias distributio sive distinctio ambiguitatis distinctio sive discretio vel etiam determinatio dicitur, quam Graeci dicunt amphibologiam ab amphi, quod est dubium, et bole, quod est sententia, quasi dubia ex multiplicitate sententia. Ita autem haec fit, ut nomen multa significans sit aequivocum, oratio vero multa designans amphibola dicatur vel praedicetur. Attendendum autem est, quod in hac multiplicitate opportet actuali significatione multa contineri in eo, quod sic multa significat; et quia compositio et divisio et figura dictionis et accentus non nisi potentialem requirunt multiplicitatem, ideo sub hac specie divisionis non comprehenduntur, sed aequivocatio sola et amphibologia, quae actualem

2 E stellam micantem coelestem, quae lucet; A-D F stellam coelestem, quae micat vel lucet. — 5 quem. *Sic absque dubio corrigendum.* Hss. qui. — 26 E proprias sign.; A B F sign. propria.

in se claudunt multiplicitatem. Sub aequivoco autem hic comprehenditur etiam hoc per analogiam multipliciter dictum, quamvis secundum veritatem medium sit inter univocum et aequivocum, et ideo non sunt nisi sex genera divisionum, quia potentialis multiplicitas non facit multiplicitatem, et analogia reducitur ad aequivocationem quoad hoc, quod analogum actu multa significat, quamvis illi multi modi, quos dicit, referantur ad unum, quod principaliter dicitur analogum.

---

## Capitulum secundum.

### De manifestatione divisionum per accidens.

---

## Textus Boethii.

Eorum autem, quae secundum accidens dividuntur, subjecti in accidentia divisio est, ut cum dicimus omnium hominum alii sunt nigri, alii candidi, alii medii coloris. Haec enim accidentia sunt hominibus, non hominum species, et homo his subjectum, non horum genus est. Accidentis vero in subjecta sectio evenit, ut est: omnium, quae expetuntur, alia in anima, alia in corporibus sita sunt. Animae namque atque corpori id, quod expetitur, accidens, non genus est, et boni, quod in anima et in corpore est situm, non sunt haec species, sed subjecta. Accidentis vero in accidentia divisio est, ut: omnium candidorum alia sunt dura, ut margarita, alia liquentia, ut lac. Liquor namque et albedo atque durities hic sunt accidentia. Sed album in dura atque liquida separatum est. Cum ergo sic dicimus, accidens in alia accidentia separamus, sed hujusmodi divisio vicissim semper in alterutra permutatur. Possumus enim dicere eorum, quae dura sunt, alia sunt nigra, alia alba, et rursus eorum quae liquida, alia sunt alba, alia nigra. Sed haec rursus conversa dividimus: eorum quae sunt nigra, alia sunt liquentia, alia dura, et: eorum quae sunt alba, alia liquentia, alia vero dura.

## Commentum Alberti.

Eorum autem, quae secundum accidens dividuntur, tres sunt modi sicut diximus, quorum primus est, quando subiecti

---

2 B hoc per; A C-F hoc quod per. — 10 E accidens; A-D F accidentia.

in accidentia divisio est, et huius exemplum, sicut si dicam, quod omnium animalium alia sunt nigra, alia candida, alia medio colore colorata. Hic enim unum subjectum genere dividitur in ea, quae accidunt illi subjecto in partibus ipsius, sicut quae accidunt hominibus vel animalibus aliis. Album enim et nigrum non sunt hominum species vel aliorum animalium sed accidentia, et homo vel aliud animal his ut subiectum substans eis subiicitur, et non est genus eorum, quod sit quid de essentia ipsorum.

Secunda autem accidentis divisio est, quando accidens dividitur in subiecta. Accidentis vero in subiecta evenit sectio, sive divisio est, sicut cum dicitur, quod omnium, quae expetuntur sive desiderantur, alia in anima, alia in corporibus sunt sita sive posita. Quidquid enim expetitur bonum, aut est corporale bonum, aut ad animam pertinens. Ad animam quidem ut virtus vel felicitas, ad corpus autem sicut voluptas et hujusmodi corporalia bona. Id enim, quod expetitur, est accidens aut corporis aut animae, et non est genus ad ipsa. Boni autem, quod in anima situm est aut habet ordinationem ad animam, et boni, quod situm est in corpore vel habet ordinationem ad corpus, non sunt corpus et anima species sed subiecta solum. Est ergo talis divisio accidentis in subiecta, quae est eadem cum ista: Desiderabilium quaedam sunt corporalia, quaedam vero animalia sive ad animam pertinentia.

Tertia vero divisio est accidentis in accidentia, et hoc est, sicut cum dicimus: Candidorum alia sunt dura ut margarita, alia vero liquida ut lac. Liquor namque et albedo atque durities hic sunt accidentia, in quae divisum est candidum. Album autem, quod etiam est accidens, in dura et liquentia separatum est. Cum ergo sic dividimus album in dura et liquentia, dividendo accidens in accidentia separamus. Sed talis divisio hoc habet, quod vicissim in alterutrum permutatur ita scilicet, quod divisum dividens et dividens divisum efficitur. Possumus enim dicere: eorum, quae dura sunt, alia sunt alba, alia nigra. Et rursus eorum, quae sunt liquida, alia sunt alba, alia nigra. Sed iterum haec rursus conversa dividimus dicentes: eorum, quae sunt nigra, alia sunt dura, alia sunt

---

2 B-F *om.* quod. — 14 F expet. bonum; A-D E *om.* bonum. — 23 B desiderabilium; A C-F desiderabilia.

liquida, et eorum, quae sunt liquida, alia sunt nigra, alia vero alba. Accidens enim accidit accidenti, quia ambo sunt in subiecto eorundem, et unum dividit aliud et dividitur ab alio. Isti sunt ergo modi divisionum per exempla manifestati.

---

## Capitulum tertium.

### **Qualiter convenientiae et differentiae divisionum sunt inquirendae.**

---

## Textus Boethii.

Differt autem hujusmodi divisio ab omnibus, quae supra dictae sunt. Nam neque significationem partiri possumus in voces, cum vox in proprias significationes discernatur; nec partes in totum dividuntur, quamvis totum separetur in partes; nec species secantur in genera, licet genus in species dividatur. Quod vero superius dictum est, hanc divisionem ita fieri, si utraque contingerent eidem inesse subjecto, si attentius perspicitur, liquet. Nam cum dicimus: eorum, quae dura sunt, alia esse alba, alia nigra, ut lapis atque ebenus, manifestum est, ebeno utraque inesse et duritiem et nigredinem. In caeteris quoque id diligens lector inveniet. Quibus autem summa operatio veritatis inquiritur, his prius intelligendum est, quae sit horum omnium simul proprietas, quibusque inter se singillatim differentiis segreguntur. Omnis enim vocis et generis et totius divisio, secundum se divisio nuncupatur. Reliquae vero tres in accidentis distributione ponuntur. Secundum se autem divisionis hujusmodi differentia est.

## Commentum Alberti.

Post haec autem, in quibus ab invicem differant istae divisiones, manifestemus, incipientes ab hac ultima divisione. Dico igitur, quod differt haec sive huiusmodi divisio ab omnibus divisionibus, quae supra dictae sunt, in hoc, quod nec significationem partiri possumus in voces — latrabile enim non dividitur in canis voces — cum tamen econtra voces in significationes proprias discernantur sive distinguantur, nec etiam partes in totum dividimus, sed econtrario totum in partes separamus, nec species secantur in genera, quamvis genus in species dividamus. Genus vero divisionis, quod superius dictum est acci-

dentis in accidentia, fit, quando utraque accidentia, divisa et dividentia eidem subiecto contigit inesse, et hoc liquet omni homini, qui attentius ista perspiciendo considerat. Cum enim dicimus, eorum, quae dura sunt, alia esse nigra et alia alba, ut ebenum et lapis, manifestum est ebeno ligno utraque eorum inesse. Est enim ebenus et nigra et dura, et sic ebeno inest et durities et nigredo, cum tamen durum sit divisum et nigrum sit dividens. Et hoc quidem diligens lector per studium attendens in cunctis inveniet. Sic ergo ista divisio ab omnibus aliis separatur. In quibus enim summa comparatio veritatis inquiritur, ut non tantum ex eo, quod est, unumquodque per diffinitionem cognoscatur, sed etiam per accidentia propria, quae multum faciunt ad cognitionem eius, quod quid est: in his ergo, in quibus talis inquisitio est veritatis, prius intelligendum est, quae sit eorum, de quibus inquirat, omnium similis proprietas, in qua conveniunt, et etiam quibus inter se singillatim unum ab altero differentiis ab invicem segregentur. Tunc enim secundum esse perfecte cognoscitur unumquodque, quando et ex communibus et ex propriis habet veram cognitionem. Sicut enim in antehabitis diximus, omnis generis in species et vocis in significationes et totius in partes secundum se divisio nuncupatur, et ideo illae tres divisiones seorsum secundum se positae sunt. Reliquae vero tres, quae etiam secundum se positae sunt, ponuntur in accidentis distributione sive divisione, et omnium istarum divisionum proprietas et differentia est assignanda, ut melius sciatur natura divisionum introductarum. Ex convenientiis enim et differentiis ipsorum ad invicem scitur, quidquid inquirendum est de omnibus generibus divisionum.

## Capitulum quartum.

### De differentia divisionis generis ad alias divisiones.

## Textus Boethii.

Differt enim divisio generis a vocis divisione, quod vox quidem in proprias significationes separatur, genus vero non in significationes, sed in quasdam a se quodammodo procreationes disjungitur. Et genus semper speciei propriae totum est, ut

10 A-E comparatio; F operatio. *Cfr. textum Boethii.* — 11 A B D E ut . . . quod; C ut . . . quid; F et . . . quid.

universalius in natura. Aequivocatio vero universalior significata re dicitur totum in voce, non etiam totum in natura.' Illo quoque modo a vocis distributione dividitur, quod nihil habent commune praeter solum nomen, quae sub ea voce sunt. Quae vero sub genere collocantur, et nomen generis et diffinitionem suscipiunt. Amplius quoque non eadem apud omnes vocis est distributio. Quod enim apud nos dicitur canis, cum ejus multae significationes in lingua Romana sint, simpliciter fortasse praedicatur in barbara; cum ea quae apud nos uno nomine nuncupantur, illi pluribus fortasse significent nominibus. Generis apud omnes eadem divisio distributioque permanent. Unde fit, ut vocis quidem divisio ad positionem consuetudinemque pertineat, generis vero ad naturam. Nam quod apud omnes idem est, naturae est. Consuetudinis vero est, quod apud aliquos permutatur. Et haec quidem sunt differentiae generis, distributionis et vocis.

## Commentum Alberti.

Differt autem divisio generis in species a divisione vocis in significationes in eo, quod vox quidem in proprias significationes separatur sive dividitur, genus autem, quando dividitur, non dividitur in proprias significationes, sed dividitur in quandam a se quodammodo procreationem. Creatione enim distinguitur et dividitur. Dico autem procreationem, quia ex potentia procedit species a genere, sicut creatura generationis procedit ex potentia materiae, et sic creatione de non ente procedit species ad ens per agentem intellectum, sicut dictum est in scientia Universalium, sicut in natura formatum ab informi procedit ad esse, et hoc non est vocis in significationes, quia vox ea, in quae dividitur, continet actu et non potentia tantum. Adhuc et in hoc differt, quod genus semper speciei propriae contentae sub ipso totum est et universalius in natura, quia natura generis universalior est quam speciei, et ideo potestas generis aliquomodo colligitur et constituitur per species. Aequivocatio vero sive multiplex, quod in voce distinguitur, habet quidem ipsum multiplex aliquomodo communius et universalius quam unum eius significatum, eo quod plura ambit ipsum multiplex confusum quam ad unam significationem determinatum, sicut plura ambit canis quam latrabile; sed haec communitas

34 A D multiplex; B E F multipliciter *et sic deinceps.*

27 Alb. de Univ. tract II cap. 7 in fine. (I p. 37).

non est nisi in voce, et ideo voce totum quoddam est ad quodlibet significatorum. Sed secundum naturam et rem non est totum ad illa, quia aequivoca non respiciunt ad unum, quod est totum ad ipsa secundum naturae rationem et substantiae sed secundum communitatem vocis tantum. Dividitur ergo divisio generis a divisione vocis in hoc, quod divisa sub communitate vocis ad invicem nihil habent commune praeter solum nomen, in quo sub voce conveniunt. Quae autem sub communitate generis collocantur, et nomen generis habent commune, et diffinitionem generis, quae secundum illud nomen est substantiae ratio, suscipiunt. Genus enim speciebus et nomen suum dat et substantiae rationem. Et, si obiicitur, quod Aristoteles dicit in primo de anima, quod *animalis ratio secundum unumquodque est altera*, solvitur, quod Aristoteles hoc intelligit de ratione sumpta secundum esse animalis, quod habet in homine et asino et aliis speciebus. Illa enim non est ratio generis secundum id, quod est genus, sed est ratio secundum esse data, quod habet in hoc et in illo. Et quia hoc esse est alterum et alterum, ideo necesse est rationem sic datam secundum unumquodque alteram esse et alteram. Aliud enim est esse animalis in genere, et aliud esse animalis secundum unumquodque animal in specie. Nec tantum hoc modo in specie erit altera, sed etiam animal, secundum unumquodque individuum acceptum, secundum esse alteram et alteram habet rationem, sicut habet esse alterum et alterum in natura particulari. Amplius autem adhuc in hoc differentia est, quod non una apud omnes homines est vocum distributio, quae tamen voces non sunt eaedem apud omnes. Quod enim apud nos canis dicitur, et multae eius sunt significationes secundum latinae sive romanae linguae proprietatem, forte simpliciter et secundum unam solam significationem praedicatur de uno in lingua barbara, quae cum latina non communicat. Quae enim plura apud nos uno nomine aequivoco nuncupantur, barbari forsitan pluribus nominibus distincta significant et non uno aequivoco. Generis vero apud omnes permanet eadem divisio et distributio, quia est secundum rem et naturam, quae eadem est apud omnes. Unde fit, ut vocis

---

14 A-E altera; F altera et altera.

12 Arist. de Anima I cap. 1 sec. antiquam translationem quaestionem sub his verbis proponit: „Formidandum autem, quatenus nos lateat, utrum una ratio ipsius est sicut animalis, aut secundum unumquodque altera", S. Thomae opp. ed. Vives (Paris 1875) vol. 24 p. 2 col. 2. Similiter se habet textus ed. Berol. p. 402b 7—8.

quidem multiplicis divisio pertineat ad positionem et beneplacitum instituentis et ad consuetudinem, quia loquendum est ut plures, et consuetudo in dictionibus nata est observanda. Generis vero divisio pertinet ad naturam. Nam, quod apud omnes est idem, naturae dandum est. Consuetudinis autem est et non naturae, quod apud aliquos et apud alios et alios permutatur ad placitum eorum, inter quos observatur. Et haec quidem, quae dictae sunt, differentiae sunt, quae sunt inter divisionem sive distributionem vocis in significationes.

---

## Capitulum quintum.

### De differentiis, quae sunt inter divisionem generis in species et totius in partes.

---

## Textus Boethii.

Generis quoque sectio a totius distributione sejungitur, quod totius divisio secundum quantitatem fit. Partes enim totam substantiam conjungentes actu, aut ratione animi et cogitatione separantur. Generis vero distributio qualitate perficitur. Nam cum hominem sub animali locavero, tunc qualitate divisio facta est. Quale namque animal est homo idcirco, quoniam qualitate formatur. Unde quale sit animal homo respondens, aut rationale respondebit, aut certe mortale. Amplius, genus omne naturaliter prius est propriis speciebus, totum autem propriis partibus posterius est. Partes, quae totum jungunt, compositi sui perfectionem, alias natura tantum, alias ratione quoque temporis antecedunt. Unde fit, ut genus in posteriora, totum vero in priora solvamus. Hinc quoque illud vere dicitur: si genus interimatur, statim species deperire. Si species interempta sit, non peremptum genus in natura consistere. Contra evenit in toto. Nam si pars totius perit, totum non erit, cujus pars una sit interempta. Sed si totum pereat, partes remanent distributae, ut si de integra domo quis abstulerit tectum, totum, quod ante fuit, interrupit. Sed perempto tecto, parietes et fundamenta constabunt. Amplius quoque genus speciebus materia est. Nam sicut aes accepta forma transit in statuam, ita genus accepta differentia transit in speciem. Totius vero partium multitudo materia est, forma vero earundem partium compositio.

Nam sicut species ex genere constat et differentia, ita totum constat ex partibus, unde fit, ut totum ab unaquaque parte sua, partium ipsa compositione differat, species vero a genere differentiae conjunctione. Amplius quoque species idem semper quod genus est, ut homo idem est, quod animal, et virtus idem est, quod habitus. Pars vero non semper idem est, quod totum. Neque enim idem est manus, quod homo, nec idem paries, quod domus. Et in his quidem, quae dissimiles partes habent, hoc clarum est. Sed non eodem modo in his quae similes, ut in aeris virgula, cujus partes, quia sunt continuae et ejusdem sunt aeris, videntur idem esse partes, quod totum est, sed falso. Fortasse enim idem sunt partes hujusmodi substantia, non etiam quantitate.

## Commentum Alberti.

Divisio autem generis in species differt ab ea divisione, quae est totius in partes, primo quidem in hoc, quod divisio totius in partes fit secundum quantitatem. Partes enim quantitativae totam substantiam quantam totius coniungentes, sive compositione constituentes, divisibiles sunt et a toto et ab invicem. Dividuntur autem aut actu, quando secantur a toto et ab invicem, aut, si forte actu dividi non possunt, divisibiles tamen sunt a toto et ab invicem ratione animi et cogitatione. Sic os et caro et nervi ratione intelligentiae divisa sunt inter se et a toto, etiam quando totum actu non dividitur. Generis autem distributio sive divisio non perficitur quantitate, qua totum distet a parte, sed potius essentiali perficitur qualitate differentiarum. Cum enim hominem ut speciem et partem substantialem ponis per divisionem, tunc qualitate essentiali, quae est differentia, divisio facta esse intelligitur, ut dicatur animal rationale. Per rationale enim genus in partem et speciem ponitur. Quale enim animal, hoc est qualitate essentiali determinatum, est homo idcirco, quia quadam essentiali qualitate homo formatur ex genere, quod est animal. Unde si interrogatus fueris, quale animal sit homo, respondebis, quod *homo est animal rationale*, aut quod est rationale mortale, qualitatem essentialem in differentia generi apponendo, qua animal formetur in hominem.

Amplius secunda differentia est divisionis generis in species et totius in partes, quod omne genus naturaliter

31 A B D E F ponitur. C dividitur sive ponitur.

prius est suis speciebus sicut formabile formato, et sicut id, quod actu et intellectu est in specie suppositum. Totum autem propriis partibus, ex quibus constituitur, est posterius. Partes enim sunt, quae totum coniungunt et ponunt secundum suae compositionis perfectionem, quia partes simul compositae totum perficiunt. Unde in quibusdam quidem partes totum antecedunt natura, quia componens secundum naturam est ante compositum, sicut in incorruptibilibus ut in toto coelo et partibus. In quibusdam autem componentes partes totum antecedunt temporis ratione, sicut in iis, quae corruptibilia et generabilia et in iis, quae sunt artificialia. Et ex his resultat tertia differentia.

Ex hoc enim, quod genus qualitate et totum integrum quantitate dividitur, fit per consequens, quod generis divisio est in posteriora generi secundum naturam et intellectum, quia in intellectu specierum continetur et supponitur genus. Totius autem divisio per hoc, quod quantitate dividitur, fit in sui priora, quia elementariter componentia natura et tempore sunt ante composita ex illis. Et hac de causa est verum generaliter, quod dicitur de habitudine generis ad species et habitudine totius ad partes, quod scilicet, si genus interimatur, statim species interimitur, et non valet argumentatio a genere ad speciem nisi negando. Si autem species perempta vel negata sit, non propter hoc peremptum vel negatum est genus, et processus a specie ad genus non valet, nisi affirmando. Genus enim in natura nihil prohibet consistere, specie una vel pluribus vel etiam omnibus, ut dicit Porphyrius, peremptis. Contrarium huius evenit in habitudine totius ad partes integrales. Totum enim non erit, sed perit et destruitur, si una pars totius principalis et integrans totum pereat vel destruatur. Sed si totum pereat et destruatur, non propter hoc sequitur, quod partes principales integrantes totum secundum substantiam destruantur. Huius autem exemplum est, ut si aliquis ab integra domo distribuerit vel diviserit tectum. Sequitur enim, quod totum, quod ante separationem illius partis totum et integrum fuit, destruitur per partis a toto divisionem. Sed pereunte tota domo secundum totalitatis et integritatis suae quantitatem et coniunctionem non prohibetur, quin adhuc partes et fundamenta remaneant et constent in substantia partium, et ideo a parte integrali ad totum

9 A-D F totum . . . ratione; E totam . . . rationem. — 30 E F principales; A B principaliter.

26 Isag. Ed. II. lib. V cap. 9. p. 310, 10, cfr. cap. 7, p. 404, 6—10.

proceditur negando. A toto autem integrali ad partem processus non valet nisi affirmando.

Amplius adhuc quarta differentia est, quod genus quidem speciebus materia est vel loco materiae, ut dicit Porphyrius, in hoc, quod formabile est differentiis in species, sicut materia formatur per formas naturae. In hoc enim simile est materiae et non est materia secundum substantiam, sicut determinatum est in scientia Universalium in tractatu de Genere. Sicut enim aes accepta forma artificis transit formatum in statuam idoli alicuius, ita genus accepta differentia, quae est forma essentialis secundum rationem accepta, logice transit formatum in speciem. E contra vero in divisione totius in partes partium principalium multitudo, proportionata compositioni totius, est materia ipsius totius, quod dividitur. Forma vero, quae partes ad formale esse totius terminat, est compositio totius, respectu cuius compositionis partes sunt materiales. Sicut enim species et genera quoad potestatem suae communitatis constant ex differentia hac vel illa, in qua est potestas communitatis generis et quantitas ambitus suae praedicationis, ita constat totum integrale ex suarum partium quantitate, et haec est causa, quare totum integrale ab unaquaque partium suarum differat quantitate et compositione. Quod autem species differt a genere, non differt quantitate essentiae, sed differt per differentiae coniunctionem, quia species abundat a genere per hoc, quod generi in specie differentia coniuncta est. Et hoc est etiam una differentiarum inter genus divisum in species et totum divisum in partes.

Amplius adhuc alia differentia est, quod species, in quam dividitur genus, secundum esse idem est, quod genus. Non enim aliud est esse generis, quando genus est in specie, et aliud esse speciei, quia genus est pars esse speciei et totum esse totius speciei, prout esse speciei est in potentia et confuso. Huius autem exemplum est, quod homo species idem est secundum esse, quod est animal, quod est in ipso, et non differt ab ipso sic, quod aliud sit esse animalis et aliud esse hominis.

---

15 A E F compositio; B-D cum co. — 17 A-D F et genera; E ad; et *durchgestr.* — A-D F constant; E constat. — 18 E potestas *am Rand*; pars *durchgestr.* A-D F pars. — A-E quantitas; F quantitatis.

5 Porph. Isag. Ed. II. lib. V, cap. 4: „Amplius genus quidem simile est materiae, formae vero differentia." p. 296, 20—21. — 9 Alb. de Univ. tract. III cap. 2 (I p. 44 col. 1 in princ.). Cfr. tract. V cap. 4 (I p. 96 col. 2 in princ.).

Et similiter est in generibus accidentium. Sic enim idem est esse virtutis, quae est species, et habitus, qui est genus. In divisione autem totius in partes, partes non semper idem esse habent cum esse totius. Cuius exemplum est, quod esse manus non est idem esse cum esse hominis, nec idem esse habet paries, quod domus. Hoc autem in his, quae dissimiles in forma habent partes, satis est clarum et manifestum. Sed non est eodem modo clarum in his, quae partes habent similes in forma cum forma partium et totius, sicut est videre in virga aerea, cuius partes omnes, quae continuae sunt in virga, unius sunt formae et similitudinis et etiam aliquid totum, quia pars est aes sicut et totum. Quia enim in talibus partes similes sunt et nomen totius recipiunt, ideo videntur alicui idem esse partes quod totum, quamvis falso hoc alicui videatur, sed veritas est, quod huiusmodi similes partes idem sunt toto nomine et specie materiae et substantiali parte, quae est materia; sed non sunt idem quantitate et compositione. Totum enim et quantitate maius est et partium compositione. Quod autem hic dicitur de partibus quantitativis et integralibus intelligendum, quod pars esse speciei et formae non habet, nisi secundum quod in toto stat sub forma totius, et ideo totum speciem dat parti, et pars dat quantitatem toti, et pars est ante totum, sicut praecedit potentia actum tempore. Totum autem est ante partem forma et ratione. Similiter etiam, quod dictum est, quod esse idem generis et speciei intelligendum est, quod hoc est, quod genus ut universale est in specie sicut in subiecto, in quo est et de quo est. Et quia idem est esse universalis et particularis, quando universale est in particulari, ideo oportet, quod idem sit esse generis et speciei. Sed esse generis, secundum quod est genus, et esse speciei, secundum quod est species, diversa sunt et opposita et per hoc patet intellectus eorum, quae hic dicta sunt. Id autem, quod dictum est, quod species et genera constant integraliter ex differentiis, in scientia Universalium probatum est, quia hoc est dictum de postestate generis, quae integratur ex differentiis et speciebus, sicut potestas speciei integratur ex actuali individuorum multitudine, de quibus praedicatur species secundum communitatem actualem.

1 A-E similiter est; F sim. idem est. — 11 F aliquid; A-E quid.

# Capitulum sextum.

## De differentiis divisionum totius in partes et vocis in suas significationes.

---

## Textus Boethii.

Restat autem vocis et totius distributionis differentias dare. Differunt autem, quod totum quidem constat partibus, vox vero non constat ex his, quae significat; et fit totius divisio quidem in partes, vocis autem non fit in partes, sed in eas res, quas ipsa vox significat; unde fit, ut sublata parte una totum pereat, sublata una re, quam vox significat multa designans, vox illa permaneat.

## Commentum Alberti.

Restat autem nunc de differentiis divisionum vocis in significationes et totius in partes dare sive assignare differentias. Est autem quidem una et prima differentia, quod totum quidem, quod in partes dividitur, constat integraliter ex partibus, in quas dividitur. Vox autem, quae distinguitur in significationes, non constat ex his significatis, quae significat et in quae distinguitur. Alia autem differentia est, quod fit divisio quidem totius in partes, quae vere partes sunt, vocis autem divisio fit non in partes, sed potius in eas res fit vocis distinctio, quas vox ipsa significat.. Et ex hoc est, quod dicitur, quod totum perimitur parte peremta. Ut autem diximus ante: Sublata una parte significationis, quam vox significat multa significans, adhuc remanet vox multa significans. Sic igitur differentiae divisionum, quae sunt per se, sunt assignatae, inter quas prima fuit divisio generis in species. Antequam autem divisiones, quae sunt per accidens, assignentur, redeamus, et quaecumque de his divisionibus, quae per se sunt, tractanda determinemus. Et primo de divisione generis in species, quae inter per se divisiones prima occurrit, quia illa est secundum formam et ideo prima poni debet.

---

3 E F suas; *om.* A-D.

# Tractatus tertius.

## De genere.

## Qualiter sunt faciendae divisiones generis.

### Capitulum primum.

### Quando divisio fit aliquando per differentias et non per species.

---

### Textus Boethii.

Nunc ergo quoniam secundum se divisionis differentiae dictae sunt, generis distributio pertractetur. Primum, quid genus sit, diffiniendum est. Genus est, quod praedicatur de pluribus specie differentibus in eo, quod est. Species vero est, quam sub genere collocamus. Differentia, qua aliud ab alio distare proponimus. Et est quidem genus, quod interroganti, quid quaeque res sit, convenit responderi, differentia, qua ad qualis percunctationem rectissime respondetur. Nam cum quis interrogat, quid est homo? recte animal. Qualis est homo? convenienter rationalis respondetur. Dividitur autem genus alias in species, alias in differentias, si species quibus oportet genus dividi nominibus carent, ut cum dico animalium alia rationalia sunt, alia irrationalia. Rationale et irrationale differentiae sunt. Sed quoniam speciei hujus, quae est animal rationale, nomen unum non est, idcirco pro specie differentiam ponimus, eamque superiori generi copulamus, omnis enim differentia, in proprium genus veniens, speciem facit. Unde fit, ut quaedam materia genus sit, forma differentia. Cum autem propriis nominibus species appellatur, non in differentias, sed in species fit recta generis divisio. Unde est, ut ex pluribus terminis diffinitio colligatur. Si enim omnes species suis nominibus appellarentur, ex duobus solis terminis omnis fieret diffinitio, ut cum dico: Quid est homo? quid mihi necesse esset dicere: animal rationale mortale, si animal rationale esset proprio nomine nuncupatum, cum reliqua quoque differentia, id est mortali, junctum diffinitionem hominis verrissima ratione et integra conclusione perficeret? Nunc autem ad diffinitiones integras specierum divisio necessaria est, et forte in eodem divisionis diffinitionisque ratio versatur. Nam divisionibus junctis una componitur diffinitio.

# Commentum Alberti.

Ut autem ea, quae de generis divisione dicenda sunt, qualiter scilicet et per quae fiat, magis sint manifesta, primum, quid sit genus, est diffiniendum. Dicimus igitur, quod genus est, quod de pluribus specie differentibus in eo, quod quid est, praedicatur. Species vero est, quam sub genere collocamus genus in species dividentes. Differentia autem est, qua aliud ab alio distare et differre proponimus, et horum omnium doctrina data est in scientia Universalium. Adhuc autem rursus a genere inchoantes dicimus, quod est quidem genus, quod interroganti de unaquaque re, quid sit, ad quaestionem quid est convenit responderi ut: quid est homo? respondetur animal. Differentia autem est, qua convenienter respondetur ad qualis percunctationem, hoc est, quando quaeritur, qualis sit res quaecumque, convenienter respondetur ut quale animal est homo? respondetur quia rationale, et ideo quaestio per qualis sequitur quaestionem quid est, de re quacumque. Cum enim aliquis interrogat primo, quid est homo? recte respondetur, quia est animal. Cum autem additur, quale animal est homo? recte respondetur, quia est rationale. His autem praelibatis dicimus, quod duplex est divisio generis. Dividitur enim genus alias vel uno modo in species, alias autem sive aliter dividitur in differentias, generis quidem divisivas, specierum autem constitutivas. Dividitur autem per differentias, quando species, quibus genus oportet dividi, nominibus carent. Si enim specierum nomina habeantur, in species dividi genus oportet, quia in specie stat completa generis divisio tamquam in generis partibus immediatis. In differentiis autem non stat sicut in partibus generis, sed sicut in formis, quibus partes generis formantur et determinantur in species sicut sub genere positae. Haec autem generis in differentias divisio fit, sicut cum dico: Animalium alia sunt rationalia alia autem irrationalia. Rationale enim et irrationale differentiae et non species sunt animalis. Quia enim huic speciei, quae est subalterna species, quae dicitur animal rationale, nomen unum non est positum, idcirco pro

13 E convenienter; A-D, F competenter. — 31 E F species; A B partes. — A—E positae; F potestate.

9 Alb. de univ. tract. III—V, ubi dictae diffinitiones pluries repetuntur et explanantur. Eas simul exhibet Boethius in Isag. Porphyrii ed. II lib. II cap. 5 (Corp. Scr. lat. vol. 48 p. 187, 14—21).

specie subalterna differentiam ponimus et ipsam superiori copulamus generi in subdivisione dicentes: Rationalium animalium aliud mortale et aliud immortale. Et hoc ideo est, quia omnis differentia generis in proprium genus veniens et proprio generi communem facit speciem, secundum quod species est, quae sub assignato genere ponitur. Et ex hoc dicitur, quod genus est ut materia quaedam, differentia vero, quae format et determinat genus, est sicut forma. Cum autem propriis nominibus species nominantur et dicuntur, tunc non in differentias fit recta divisio generis, quia differentiae partes non sunt sed qualitates essentiales potentiae generis et formae, sed in species dividitur tunc tamquam in partes. Et ex hoc est, quod diffinitio saepe colligitur ex pluribus terminis, quia nomen generis immediati non habentes colligimus differentiam cum genere remoto pro genere, et sic multas differentias colligere oportet, quae genus remotum restringant ad genus proximum, et illas tunc cum genere remoto coniungimus cum ultima differentia et perficimus diffinitionem. Quod si loco omnium differentiarum genus proximum nominatum haberemus, non oporteret ponere nisi genus proximum cum ultima differentia, sicut dicit Averroes super septimum primae philosophiae, et in has species divideretur genus, et staret in istis divisio sicut in partibus formalibus ultimis. Nunc autem, quando fit per differentias divisio, non stat divisio tamquam in ultimis. Si enim omnes species tam subalternae quam specialissimae suis nominibus nominarentur, tunc ex duobus solis terminis, genere scilicet proximo et ultima differentia, fieret speciei diffinitio, sicut diximus. Cuius exemplum est, ut cum dico diffiniens: quid est homo, non esset necessarium dicere: animal rationale mortale, si animal rationale uno nomine proximi generis nominaretur, et hoc, quod est nomen animalis rationalis, cum reliqua et ultima hominis differentia iunctum diffinitionem hominis verissima ratione et integra conclusione perficeret, quia omnia antecedentia supponerentur in proximo genere et non oporteret aliquid poni de non proximis. Nunc autem, quia non habemus specierum et generum subalternorum nomina, ideo ad integras habendas est nobis necessaria divisio specierum subalternarum, quia aliter ad genus immediatum non possumus pervenire per nomen, nisi speciem subalternam cum differentia iunctam pro genere immediato ponamus. Differentiam autem, quam cum genere iungimus,

38 E F pervenire; *om.* A-D. — A-D nomen; E speciem; F *om.*

nos accipimus per generis superioris divisionem. Praecedit igitur diffinitionem divisio per differentias superioris generis divisivas, propter quod in eodem et circa idem quoad genus et differentias versatur et ratio divisionis et ratio diffinitionis. Nam a divisionibus, hoc est ex acceptis per divisionem differentiis coniunctis simul usque ad ultimam differentiam, una et integra componitur diffinitio ex genere diviso iuncto cum differentiis divisivis. Sic ergo et taliter in universali generis in differentias fit divisio. Quod autem hic dictum est ultimam differentiam esse convertibilem cum specie et duobus tantum terminis, hoc est genere et differentia una constare diffinitionem, ideo dictum est, quia genus et differentia termini sunt esse, quod dicit et explicat diffinitio, sicut actus et potentia sunt termini esse et sicut inchoatio et perfectio. Genus enim est esse speciei inchoatio, et differentia est terminans et perficiens actus secundum rationem. Quod autem in Posterioribus dicit Aristoteles, quod partes diffinitionis sunt in plus quam diffinitum, totum autem in aequale, et quod Porphyrius dicit, differentias esse in plus quam species, et ideo duas vel plures esse coniungendas, ut convertibiles fiant cum specie, iam quidem disputatum et solutum est in scientia Universalium in tractatu de Differentia. Hoc tamen etiam dicimus, quod, sicut dicit Avicenna, differentia non dicitur differentia, nisi per hoc, quod est divisiva; et si constitutiva sit, hoc habet ab alio quam ex eo, quod differentia est, scilicet in quantum est forma vel natura. Et quia divisiva communior est specie, in qantum divisiva est, ideo dicitur, quod partes sunt in plus et totum in aequale, et quod Porphyrius dicit, differentias esse specie communiores. Et si obiicitur, quod divisio a superioribus decurrit usque ad inferiores, quae convertibiles sunt, et sic etiam divisiva convertibilis efficitur, dicendum quod differentia, ut differentia est, per prius dicitur de superioribus.

Differentia enim non quaeritur nisi inter ea, in quibus est convenientia generis. Genus autem ambit plures species et

---

32 A-D, F inter ea ; E in illis.

16 Arist. Anal. Post. II cap. 13: „quae igitur sunt eiusmodi, sumi eo usque debent donec tot sumantur primum, quorum unumquodque latius pateat, omnia vero simul accepta non latius pateant. Hanc enim necesse est esse rei essentiam.“ p. 96, 32—35. — 18 Porphyr. Isag. ed II, lib V, cap. 14. Corp. p. 327, 10—11. — 22 Avicenna in Logica I cap. de differentia: „Nulla autem constitutiva est nisi divisiva. Divisivarum autem, sec. quod videtur, aliqua est non constitutiva“. (fol. 8b col. 2.) — 27 Porphyrius Isag. ed II, lib. V cap. 3. p. 291, 5—7.

ideo differentia, cum sit potestate in genere, ut qualitas generis restringens et perficiens generis potentialitatem, etiam communis est. Propterea etiam dicit Aristoteles in Topicis, quod differentia, cum sit generalis, cum genere collocanda est, et ideo etiam cum genere collocata facit genus propinquius et sic usque ad ultimam, quae in inferioribus non facit differentiam, nec divisibilis est in differentias, sed ut forma constituit speciem, in quibus nullum actum facit differentiae, sed perfectionem facit in specie et, quod species constituta differt ab aliis, hoc habet ex consequente. Quia enim primo format in esse specifico, ideo consequenter facit differre ab aliis, sicut etiam affirmatio causa est negationis, cum dico: *Socrates homo est, ergo Socrates non est asinus.* Haec autem in scientia Universalium melius et diffusius tractata sunt.

## Capitulum secundum.

### Qualiter consideranda est in genere divisio et de differentiis dividentibus.

## Textus Boethii.

Sed quoniam alia sunt aequivoca, alia univoca, et quae sunt univoca, ipsa in generum suscipimus sectiones, quae vero sunt aequivoca, in his divisio sola significationis est, videndum prius est, quid sit aequivocum, quid univocum. Ne, cum ista fefellerint, aequivocum nomen quasi in species ita in significativas resolvamus. Unde fit, ut rursus ad divisionem necessaria sit diffinitio. Quid enim sit aequivocum, quid univocum, diffinitione colligimus. Sunt autem differentiae aliae per se, aliae vero per accidens; et harum aliae sunt consequentes statim, aliae relinquentes statim. Relinquentes hujusmodi sunt, ut dormire, sedere, stare, vigilare; consequentes vero, ut capilli crispi, si non admissi sunt calamistro, et glauci oculi, si non sunt quadam extrinsecus debilitate turbati. Sed haec ad generis divisionem sumenda non sunt, neque ad diffinitiones sunt commoda. Omne enim, quod ad divisionem generis aptum est, idem

---

12 Socrates *sic ex textu Boethii restit.* A-F Sortes.

3 Arist. Top. I cap. 4: „Etenim differentia, cum sit generalis, cum genere collocanda est." p. $101^b$ 18—19. — 14 Alb. de Univ. tract. III cap. 3 (I p. 88).

ad diffinitiones rectissime congregamus. Illa vero, quae per se sunt, sola ad divisionem generis apta sunt. Haec enim informant et perficiunt uniuscujusque substantiam, ut hominis rationabilitas et mortalitas. Sed has quemadmodum probare possimus, utrum ex eo sint genere statim relinquentium, an consequentium, an in substantia permanentium, hoc modo est videndum. Neque enim sufficit scire, quas in divisione sumamus, nisi illud quoque cognitum sit, quemadmodum easdem ipsas, quae sumendae sunt et quae rejiciendae, rectissime cognoscamus. Videndum ergo primum est, utrum proposita differentia omni possit et semper inesse subjecto; quodsi ipsa vel actu vel actione sejungitur, haec a divisione generis separanda est. Si enim saepe et actu et ratione sejungitur, ex eo sunt genere, quae statim relinquunt, ut sedere, quod frequentius quidem separatur, et actu ipso a subjecto dividitur. Quae vero ratione sola a subjecto ratione sejungimus, ut cum dico: est animal luminibus glaucis, ut quilibet homo: quod si hic non esset hujusmodi, non eum res aliqua esse hominem prohiberet. Aliud rursus est, quod ratione separari non possit, quodsi separatum sit, species interimatur; ut, cum dicimus, inesse homini, ut solus numerare possit, vel geometriam discere; quodsi haec possibilitas ab homine sejungitur, homo ipse non permanet. Sed haec non statim earum differentiarum sunt, quae in substantia insunt. Nam non idcirco homo est, quoniam hoc facere potest, sed quoniam rationalis est atque mortalis. Hae igitur differentiae, per quas species consistit, ipsae et in diffinitione speciei, ut hominis, et in generis ejus divisione, quod continet speciem, ut ipsum hominem, collocantur; et universaliter dicendum est, quaecunque differentiae hujusmodi sunt, ut non modo praeter has species esse non possit, sed per eas solas sit, hae vel in divisione generis, vel in speciei diffinitione sumendae sunt.

## Commentum Alberti.

Habito autem qualiter fit generis divisio in communi, in speciali videndum est, quod vel quale sit, quod dividitur, et in quas vel quales differentias sit dividendum. Quoniam igitur quaedam, quae nomine sunt communia, sunt aequivoca, quaedam autem talium sunt univoca, ideo ea, quae sunt univoca et non aequivoca in sectionem sive divisionem generum sunt suscipienda. Aequivocum enim divisione generis dividi non potest. In aequivocis enim non potest esse divisio alia, nisi quae

est vocis in suas significationes. Ut autem genus dividendum sciamus esse univocum, videndum primo, quid sit univocum et quid aequivocum. Ne cum ista nos aliquando fefellerint, dividamus nomen aequivocum quasi in species, quando ipsum resolvimus in suas voces significativas, et sic aequivocum genus esse putemus et significata aequivoci putemus esse species, in quas, ut genus, sit divisum. Et propter hoc ad divisionem necessaria est eius, quod dividitur, diffinitio, qua determinetur eius, quod dividendum est, natura et substantia, antequam dividatur. Colligimus enim diffinitione, quid sit aequivocum et quid univocum eorum, quae dividenda sunt, et tunc hoc scito dividimus ipsum secundum naturam, secundum quam est genus specierum. Similiter praecognoscere oportet, per quas dividendum est genus differentias. Sicut enim Porphyrius dicit, quaedam sunt differentiae per se, quaedam autem per accidens, et eorum, quae sunt per accidens, quaedam statim sunt consequentes id, cuius sunt differentiae universaliter et semper, quaedam autem statim sunt subiectum, cuius sunt, relinquentes, ita quod non semper sequuntur ipsum. Relinquentes autem subiectum sunt ab accidentibus separabilibus acceptae, ut sunt sedere vel stare, dormire vel vigilare. Persequentes autem subiectum et non relinquentes sunt ab accidentibus inseparabilibus sumptae, sicut crispitudo capillorum ex natura ingenita et non calamistro admissa vel procurata. Calamistrum enim mitra vel instrumentum est, quo crispitudo capillorum procuratur. Talis enim crispitudo cito recedit et non semper sequitur subiectum. Talis etiam differentia est glauci per naturam oculi, qui non aliquo extrinsecus turbante glauci sunt per infirmitatem. Talis enim glaucitas perseverat semper sequens subiectum. Tales igitur differentiae per accidens, sive ab accidente separabili sive ab accidente inseparabili sint sumptae, quas Porphyrius vocat communes et proprias, ad propriam generis divisionem non sunt sumendae. Non enim tales, cum esse substantiale non dicant, sunt commodae ad diffinitiones, quae dicunt esse substantiale. Accidentia enim sunt et non sunt de substantia rei, nec sunt de ratione eorum, in quibus sunt. Omne enim quod quid est, hoc est de substantia rei. Hoc ad divisionem generis, quando ut genus dividitur,

---

14 Porphyrius, Isag. ed. II, lib IV, cap. 4. Corp. p. 248, 18—29, 1; cfr. cap. 6. Corp. p. 253, 12—15. — 32 Porphyrius Isag. ed. II, lib. IV, cap. 1. Corp. p 239, 18—240, 1.

aptum est, et idipsum, ex divisione acceptum, ad rei diffinitionem aptissime congregamus. Illa enim sola, quae per se sunt in primo modo dicendi per se, congregamus ad diffinitionem, eo quod omnia, quae in diffinitione ponuntur, sunt de ratione diffiniti. Si autem referuntur ad genus, tunc sunt per se secundum modum secundum, quia genus aliquomodo est de ratione differentiae, ut subjectum de ratione praedicati, secundum quod differentia potest habere rationem proprii. Proprie enim loquendo differentia non habet diffinitionem. Haec autem, quae sunt per se differentiae et substantiales, ideo ponuntur in divisione generis, quia substantialiter informant et perficiunt uniuscuiusque diffiniti substantiam, sicut substantiam hominis perficit rationabilitas et mortalitas quamquam rationabilitas et mortalitas non sint differentiae, quia de his, quorum sunt, non praedicantur, sed sunt formae per abstractionem a differentiis sumptae. Haec autem omnia in scientia Universalium determinata sunt. Dico autem rationale et mortale, sive rationabilitatem et mortalitatem, esse per se differentias et magis proprias, ut dicit Porphyrius, dummodo has, sicut certitudinaliter constat, probare possimus, utrum sint ex eodem genere eductae, quod dividunt. Videndum enim est, utrum sint ex genere differentiarum, quae statim subiectum relinquunt, aut sint ex genere earum, quae subiectum persequuntur et permanent cum ipso. Non enim ad divisionem generis sufficit scire, quas differentias in divisione generis assumamus et quas non assumamus, nisi etiam sit cognitum, quemadmodum easdem, quas assumimus et quas reiicere debemus, rectissima ratione differentiarum cognoscere debeamus. Videndum ergo primum, utrum id, quod proponitur pro differentia alicuius, omni possit et semper inesse subiecto, ita quod nunquam derelinquat ipsum nec actu nec ratione. Si enim ipsa vel actu vel ratione seiungi potest a subiecto et subiectum derelinquere, tunc illa differentia ex eo genere differentiarum est, quae ab accidentibus communibus sumptae sunt et statim subiectum derelinquunt, ut sedere, quod frequentius separatur a subiecto, et actu ipso a subiecto seiungitur. Quando enim surgit, tunc sedere seiungitur ab ipso. Si vero non actu sed ratione a subiecto dividitur, illa est de genere differentiarum permanentium cum subiecto et sumptae sunt ab accidenti inseparabili sicut est hoc, quod est glaucos oculos habere vel crispos capillos, quod a sub-

---

19 Porphyrius, Isag. ed. II, lib. IV, cap. 4. Corp. p. 249, 1—2.

iecto seiungitur non actu sed ratione. Sicut dico exemplariter: animalium quoddam est cum luminibus sive oculis glaucis, ut aliquis homo glaucos oculos habens, et quoddam est nigros oculos habens. Quodsi homo sic non esset cum oculis glaucis, non tamen aliquid prohiberet, quin adhuc esset homo, et ideo glaucum esse ratione separatur ab homine. Propter quod non est per se differentia sed ab accidente inseparabili sumpta, quae non est assumenda in essentiali generis divisione. Est autem rursus aliud genus differentiae, quod ratione separari non potest ab eo, cuius est, sive in quo est, quod si separari ponatur actu vel ratione, interimitur species, cuius ipsa est differentia, sicut cum dicimus inesse homini, ut solus inter animalia numerare possit. Solus enim homo numero mensurat discreta. Aut sicut dicitur, quod solus homo potest discere geometriam vel aliam scientiam, quae possibilitas, cum ab homine disiungitur vel separatur, homo non remanet homo, quia haec possibilitas inest ei per hoc, quod est rationale, et possibilitate permanente remanet rationalis. Possibilitate autem destructa, rationalis non est naturae, et per consequens non est homo. Sed tamen tales differentiae non propter hoc statim sunt de numero earum, quae insunt in substantia et diffinitione, quia a propriis, quae substantiam consequuntur sunt sumptae, et ideo causatae a substantia et non sunt causa substantiae et eius, quod est esse substantiae. Non enim idcirco homo est sicut a causa formali per hoc, quod hoc vel illud facere potest, sicut numerare vel geometriam discere, sed ex eo, quod rationalis et mortalis est, hoc vel illud faciendi habet facultatem. Proprium enim causatur a substantialibus et non est causa ipsorum. Hae igitur differentiae in divisione generis assumendae sunt, propter quas sicut causas formales species, quae generi supponitur, existit in esse specifico, et quae ponuntur in ipsius speciei diffinitione, ut in diffinitione hominis est manifestum. Illae enim ponendae sunt in divisione generis, quod continet speciem, ut animal continet hominem. Unde rationale et mortale, quae differentiae hominis [sunt] diffinitive collocantur in generis divisione, cum dicitur: animalium aliud rationale aliud irrationale et rationalium animalium aliud mortale aliud immortale, et ut universaliter dicatur, quaecumque tales differentiae sunt, sine quibus non tantum species esse non possit, sed etiam per eas sicut formales causas species sit species,

19 A naturae; B-F *om.*

illae solae in divisione generis, quando ut genus dividitur, et in speciei diffinitione sunt ponendae vel sumendae. Non ergo communes et propriae differentiae sumendae sunt sive ab accidentibus inseparabilibus sive a propriis sumptae, sed solae illae, quae magis propriae vocantur et sunt causae substantialis esse speciei. Qualiter autem proprium causatur a substantia et non est causa substantiae speciei, satis determinatum est in scientia Universalium tractatu de Proprio. Sic igitur, ut in communi dicatur, et per talia debet fieri generis divisio et diffinitio speciei.

## Capitulum tertium.

### Quod divisio debet fieri per opposita.

## Textus Boethii.

Quoniam vero quaedam sunt, quae differunt, quae contra se in divisionibus poni non debent, ut in animali rationale et bipes, nullus enim dicit: animalium alia sunt rationalia, alia duos pedes habentia, idcirco quod rationale et bipes, licet differant, nulla tamen a se oppositione sejunguntur, constat, quaecunque a se aliqua oppositione differunt, eas solas differentias sub genere positas genus ipsum posse disiungere. Sunt autem oppositiones quattuor, aut ut contraria, ut bonum malo; aut ut habitus et privatio, ut visus et caecitas. Quamquam sint et quaedam res, in quibus discernere difficultas sit, utrum in contrariis an in privatione et habitu eas oporteat collocari, ut sunt motus, quies, sanitas, aegritudo, vigilatio, somnus, lux, tenebrae. Sed haec alias, nunc de reliquis oppositionibus dicendum est. Tertia oppositio est, quae est secundum affirmationem et negationem, ut Socrates vivit, Socrates non vivit. Quarta secundem rationem, ut pater, filius, dominus, servus. Secundum quas igitur harum oppositionum quattuor divisio generis sit, rectissima ratione monstrandum est. Manifestum est enim et oppositiones esse quattuor, et genera et species per opposita separari.

## Commentum Alberti.

Quoniam autem quaedam sunt, quae quidem inter se differunt, quae tamen in divisionibus generum contra se poni non debent, eo quod unum non excluditur per alterum, oportet

8 Alb. de Univ. tract. VI cap. 1 (I p. 111—114).

considerari, per quae dividentia divisio generis fieri debeat. In hac enim divisione unum dividentium debet exludere reliquum. Differunt autem et se invicem non excludunt in animali sive sub animali accepta rationale et bipes. Nullus enim animal dividendo dicit: *animalium alia rationalia alia bipedia sive duos pedes habentia*. Hoc autem ideo est, quia rationale et bipes, quamvis differant et differentes formae sint, tamen nulla oppositione a se invicem seiunguntur, qua unum aliud ab eodem excludat subiecto susceptibili ipsorum. Constat igitur quod, quaecunque a se invicem aliqua differant oppositione, illa sola, ut differentiae, possunt genus dividere et a se invicem seiungere in diversa, quia illa simul in uno et eodem simul esse non possunt. Sunt autem, sicut in Praedicamentis determinatum est, oppositiones quatuor. Aut enim opponuntur ut contraria, ut bonum malo. Hoc enim uno modo ut contraria opponuntur, ut in Praedicamentis determinatum est. Alio modo sunt opposita ut habitus et privatio, ut visus et caecitas, quamquam res quaedam sint oppositae, in quibus difficile est discernere, utrum in contrariis vel in oppositis ut privatio et habitus sint ponendae, ut sunt motus et quies, sanitas et aegritudo, vigilatio et somnus, lux et tenebrae. Sed haec alias, quia in praehabitis determinata sunt et ad logicam non pertinent, nisi tantum, quod verius ista opponuntur ut privatio et habitus, quam ut contraria. Nunc autem de reliquis oppositionibus est dicendum. Tertia ergo oppositio est, quae est secundum affirmationem et negationem, ut Socrates vivit, Socrates non vivit. Quarta vero oppositio est secundum relationem ut pater et filius, dominus et servus. Monstrandum est igitur, secumdum quam oppositionem divisio generis fieri debeat rectissima ratione. Manifestum est enim, quod oppositionum genera sunt quatuor, et manifestum est etiam, quod genera et species per opposita debent separari. Relinquitur igitur nunc dicendum, secundum quam oppositionem de quatuor fieri debeat, vel quemadmodum species per divisionem a genere disiungi conveniat. Utrum scilicet secundum omnia genera vel quaedam, et si secundum quaedam, quae sint illa et quo ordine, quo scilicet genere oppositionis primo et quo secundo, genera dividenda sunt.

2 E F dividentia; A-D differentia. — 25 Socrates; A-F Sortes. — 29 A-D F fieri debeat; E habeat fieri.

17 Alb. de Praedicam. tract. VII cap. 2. (I p. 275).

# Capitulum quartum.

## Qualiter fit divisio secundum opposita contradictorie.

---

## Textus Boethii.

Nunc ergo dicendum est, secundum quam oppositionem harum quattuor, vel quemadmodum species a genere disjungi conveniat, et prima quidem sit contradictionis oppositio. Voco autem contradictionis oppositionem, quae affirmatione et negatione proponitur. In hac igitur negatio per se nullam speciem facit. Nam cum dico, homo, vel equus, vel aliquid hujusmodi, species sunt. Quidquid autem quis negatione protulerit, speciem non declarat. Non enim esse hominem, species non est; omnis enim species constituit esse. Negatio vero quidquid proponit, ab eo, quod est esse, disjungit, ut cum dico: homo, quasi sit quiddam locutus sum. Cum vero: non homo, substantiam hominis negatione destruxi. Sic igitur per se caret divisio generis in species negatione. Necesse est autem saepe speciem negatione componere, cum ea, quam simplice nomine speciem volumus assignare, nullo vocabulo nuncupatur, ut cum dico, imparium numerorum alii primi, ut tres, quinque, septem; alii non primi, ut novem: et rursus figurarum aliae sunt rectissimae, et colorum alii sunt albi, alii nigri, alii nec albi, nec nigri. Ergo quando nomen unum speciebus positum non est, eas negatione proferre necesse est. Hoc igitur cogit interdum necessitas, non natura. Ideoque quoties negatione facimus sectionem, prius aut affirmatio, aut simplex dicendum est nomen, ut est: numerorum alii sunt primi, alii non primi. Nam si prius negatio dicta sit, tardior fit ejus rei, quam proponimus, intellectus. Nam cum primum dicis, esse aliquos primos numeros, cum, quales sint primi, exemplo vel diffinitione docueris, quales non sint primi, mox auditor intelligit. Sin vero econtrario feceris, aut neutrum subito, aut tardius utrumque cognosces. Divisio vero, quae propter apertissimam generis naturam reperta est, debet potius ad intelligibiliora deducere. Amplius quoque prior est affirmatio, posterior vero negatio. Quod autem primum est, in divisione quoque primitus oportet ordinari. Necesse est quoque semper finita infinitis esse priora, ut aequale inaequali, virtutem vitiis, certum incerto, stabile et fixum instabili et mutabili. Sed omnia, quae aut diffinita parte orationis, aut affirmatione proferuntur, plus finita sunt, quam aut nomen cum particula negativa, aut

tota negatio. Quare finito potius quam infinito est facienda divisio. Sed, si cui per haec quaedam paretur anxietas, aut obscuroria sint fortasse, quam ipse desiderat, nihil ad me cognitionen facilem pollicentem. Neque enim rudibus haec totius artis, sed imbutis et ulteriore pene loco progressis legenda et discenda proponimus. Qui vero hujus operis, id est dialectici, ordo sit, cum de ordine peripateticae disciplinae mihi dicendum esset, diligenter exposui. Haec quidem dicta sunt de oppositione, quam affirmatio et negatio constituit.

## Commentum Alberti.

Sumatur igitur prima contradictionis oppositio. Voco autem contradictionis oppositionem, quae proponitur affirmatione et negatione. In hac igitur oppositione primum notandum est, quod, cum negatio nihil ponat esse, negatio nullam facit vel constituit speciem. Nam cum affirmando dico homo vel equus vel aliquid huiusmodi commune, quod sub se continet individua, species sunt, quae dico. Quidquid autem aliquis in negatione proponit, speciem non declarat ipso nomine; quia non esse hominem nihil est, et ideo species non est, quod dicitur per non esse hominem. Omnis enim species constituit esse specificum. Negatio vero disiungit ab eo, quod est esse, omne, quod proponit. Cum enim dico homo, locutus sum ipso nomine hominis, quasi sit homo quidam, quem dixi. Cum vero dico non homo negatione destruxi substantiam hominis, quae nomine hominis poni significabatur. Sic igitur divisio generis, quae per se est divisio, caret negatione, quia divisio generis, per dividentia cum genere coniuncta, ponit species et causat eas, negatio autem nihil causat omnino. Ab altera autem parte, quia speciebus non sunt posita nomina, saepe necessarium est, nomina speciebus ipsa negatione componi per circumlocutionem, cum ea, quae simplici nomine appellare volumus, nullo vocabulo simplici nominantur, eo quod non omnibus nomina sunt posita, ut cum dico: imparium numerorum alii sunt primi, ut sunt tres, quinque, septem, qui ex imparibus aliis non componuntur; alii sunt non primi, ut sunt novem, qui ex tribus imparibus componitur. Negatione enim, cum dico: non primi, significo compositos impares numeros, et sic affirmatione et negatione

17 E Quidquid autem aliquis; A-D Quidquid [A Quicquam] autem aliquid; F Quisquis autem aliquid.

impar numerus ut genus dividitur. Idem de modis divisionis est, cum dico: *figurarum aliae sunt rectilineae, ut quadratum, aliae non rectilineae, ut circulus.* Tunc enim iterum affirmatione et negatione fit generis divisio in species, eo quod non rectilineae nomen simplex non habent, quo cum rectilineis dividant figuram ut genus. Vel secundum mediatam divisionem, quando dico: *colorum alii sunt albi, alii nigri, alii autem nec albi nec nigri.* Sic enim etiam divisio generis fit in species per affirmationem et negationem. Patet enim ex his, quae dicta sunt, quod, quando unum nomen simplex speciebus, in quas genus dividitur, positum non est, tunc necesse est, quod illae species proferantur sub negatione oppositae speciei. Sic igitur negatione species proferre cogit interdum necessitas et non natura. Necessitas autem haec est ex hoc, quod nomina non habemus eorum, quae tamen species sunt in natura. Et ideo, quotiens negatione generis facimus sectionem sive divisionem in divisione ipsa prius, hoc est in primo divisionis membro, aut affirmatio ponenda est, aut simplici nomine positive et non negative est proferenda species. Sicut si dicamus: *numerorum alii primi alii non primi.* Si enim in tali divisione prius ponatur negatio, cum negatio non sit principium intelligendi aliquid, per negationem fit tardior intellectus eius rei sive divisionis, quam proponimus. Cum in prima parte divisionis dicis aliquid esse ut numeros primos, cum, quales sint primi, sive exemplo sive diffinitione docueris, etiam, quales sint per oppositum non primi, mox auditor intelliget, quia affirmatio est causa intellectus sui et oppositi. Si vero econtrario feceris in divisione negationem proponendo, auditor divisionis a te propositae aut neutra dividentium subiectum intelliget, aut tardius utraque cognoscet, quia negatio non est principium, quo aliquid intelligatur. Divisio enim, quae propter apertissimam naturam generis cognoscendam reperta est, semper et potissimum debet auditorem ad intelligibiliora deducere. Intelligibilior autem est affirmatio quam negatio. Amplius quoque ad idem facit, quia affirmatio prior est, negatio autem posterior. Quod autem natura prius est in divisione, etiam primum oportet ordinari, et sic iterum ab affirmatione incipienda est divisio. Adhuc autem necesse est semper, finita infinitis esse priora, ut aequale, quod uno modo est, inaequali, quod est infinitis modis, et virtus, quae una tota et sola causa est scilicet in medium contingere, vitio, quod est per declinationem a medio infinitis modis, et sicut certum, quod uno modo

veritatis est, incerto, quod est infinitis modis per deviationem a veritate, et sicut stabile et fixum, quod uno modo est per necessitatem causae est, ante instabile et mutabile, quod per mutabilitatem causae est per infinitos modos. Sic autem omnia, quae cum diffinita parte orationis aut cum oratione affirmativa proferuntur, sunt plus finita, quam sit aut nomen infinitum, quod cum particula negativa componitur ut non homo, vel etiam quam sit tota negatio, quae nihil ponit, cum dicitur, hoc non est homo. Ergo finito et affirmatione potius, quam infinito vel negatione est facienda divisio et per consequens etiam diffinitio, quia divisio et diffinitio sunt circa eadem. Si autem alicui nescienti, quid est infinitum vel finitum, quaedam paratur dubitationis anxietas, dum ea, quae dicimus, obscuriora sunt fortasse, quam ipse desiderat, nihil ad nos pertinet, qui cognitionem facilem et introductoriam in antehabitis nos scripturos promisimus. Nos enim non omnino rudibus haec, quae hic scribimus, legenda proponimus, sed potius aliqualiter imbutis et ulteriore pene loco per studium progressis proponimus haec legenda et discenda. Quis vero huius operis sive libri ordo sit inter libros dialecticos diligenter exposui in libro, quem scripsi, cum mihi de ordine peripateticae disciplinae dicendum erat, ubi exposui, quem ordinem iste liber divisionum habet inter libros dialecticos. Est enim primae partis logicae, quae est de notitia incomplexorum. In hoc enim et scientia diffinitionum et divisionum est tradita, per quae habetur notitia incomplexi; quia in primo libro logicae ordinabilium ad scientiam habetur ratio. In secundo autem de praedicamentis et principiis ordinabilium habetur ordo. Ex ordine autem superioris ad inferius et inferioris ad superius habentur diffinitio et divisio. Haec igitur dicta sint de oppositione, quam affirmatio et negatio constituit in ea, quae est generis in species divisione.

---

21 Ad Boethium haec referenda sunt non ad Albertum, qui ea ex textu Boethii deprompsit. Cfr. textum Boethii supra.

# Capitulum quintum.

## Qualiter dividatur genus per oppositionem privationis et habitus.

---

## Textus Boethii.

Illa vero, quae secundum habitum privationemque fit, ipsa quoque superiori videtur esse consimilis. Negat enim quodammodo privatio habitum, sed differt, quod semper quidem potest esse negatio, privatio vero non semper, sed tunc, quando habere habitum possibile est; hoc vero nos jam Praedicamenta docuere. Quare forma quaedam intelligitur esse privatio. Non enim tantum privat, sed etiam circa seipsam privatum quemque disponit. Neque enim caecitas oculum solum privat lumine, sed ipsa quoque secundum se privatum luce disponit; caecus enim dicitur ad privationem quodammodo quasi dispositus et affectus. Hoc quoque Aristoteles testatur in Physicis. Unde fit, ut privationis differentia ad generis divisionem frequentur utamur. Sed hic quoque eodem modo sicut in contradictione faciendum est. Prius enim ponendus est habitus, qui est affirmationi consimilis, post vero privatio, quae negationi. Aliquoties tamen privationes quaedam habitus vocabulo proferuntur, ut orbus, caecus, viduus, aliquoties cum particula privationis, ut cum dicimus finitum infinitum, aequale inaequale. Sed in his aequale et finitum in divisione ponenda sunt prima, privationes vero secundae. Ac de oppositione quidem privationis et habitus haec dicta sufficiant.

## Commentum Alberti.

Oppositio autem, quae secundum privationem et habitum consistit, consimilis videtur ei, quae est dicta secundum affirmationem et negationem esse oppositio. Privatio enim quodammodo negat habitum. Sed in hoc differt a negatione, quia negationis vis et potentia est semper negare. Omne enim, quod est omni tempore, aut est videns aut non videns. Privatio vero non semper tollit habitum, sed tollit tunc, quando possibile est secundum naturam habere habitum. Hoc autem iam nos scientia Praedicamentorum edocuit in tractatu de Privative Oppositis, quare forma quaedam privatio esse intelligitur, eo quod subiec-

35 Alb. de Praedicam. tract. VII cap. 5. (I p. 281)

tum relinquit cum dispositione sive habitudine ad habitum. Dispositio autem et habitudo formae quaedam sunt, vel ad formam ordinata. Non enim tantum privat privatio, sed etiam ipsum privatum subiectum disponit ad habitum in hoc, quod dispositum relinquit. Caecitas enim non facit solam privationem eo, quod oculum privet lumine. Sed eadem caecitas secundum seipsam, in quantum privatio est, privatum lumine oculum disponit in hoc, quod dispositum relinquit ad lumen oculorum. Caecus enim dicitur non videns, sed ad id, quo privatus est, lumen vel visum dispositus et affectus per naturae habilitatem et habitudinem. Et haec quoque, quae hic dicimus, Aristoteles testatur in Physicis et praecipue in quinto et in primo Physicorum. Propter quod fit, quod etiam differentia cum oppositione privativa frequenter utimur ad generum divisionem, et dividimus genus per privationem et habitum, sicut cum dicimus: animalium aliud rationale aliud irrationale. Irrationale enim sicut privatio se habet ad rationale. Sed in hac divisione eodem modo sicut in contradictione faciendum est. Prius enim ponendus est habitus, qui est affirmationi consimilis. Postea vero in secundo membro divisionis ponenda est privatio, quae cum negatione habet similitudinem. Sed hic advertendum est, quod aliquoties privationes quaedam habitus vocabulo proferuntur, ut orbus, qui orbatos vel extractos habet oculos, caecus, qui naturaliter non videt, viduus, qui caret uxore defuncta, quae omnia privationem significant et tamen affirmative vel positive per modum habitus designantur. Aliquoties privatio designatur cum particula privationis vel privativa, ut cum dicimus: finitum et infinitum, aequale et inaequale, rationale et irrationale et huiusmodi. Sed in his talibus aequale et finitum in prima parte divisionis ponenda sunt, et in secunda parte ponendae sunt privationes propter easdem causas, quae in oppositione contradictionis dictae sunt. Sic ergo, quantum ad praesentem de divisione generis intentionem, de oppositione, quae est secundum privationem et habitum dictum sit.

---

11 A-D F et habitudinem; E sive aptitudinem. — 28 Sic A-D F E infinitum, essentiale et inessentiale, rationale etc.

12 Arist. Phys. lib. I cap. 7 et 8; lib. V cap. 2. Cfr. p. 191b 15—16; 226b 16.

# Capitulum sextum.

## Qualiter fit divisio generis per contrariorum oppositionem.

---

## Textus Boethii.

Contrariorum vero oppositio dubitatur fortasse, an secundum privationem et habitum esse videatur, ut album et nigrum; an album quidem privatio nigri sit, nigrum vero albi. Sed haec alias. Nunc autem ita tractandum est, tanquam si sit aliud oppositionis genus, sicut est in Praedicamentis ab ipso quoque Aristotele dispositum. In contrariis autem generum multa divisio est. Fere enim cunctas differentias in contraria deducimus. Sed quoniam contrariorum alia sunt medio carentia, alia mediata, ita quoque divisio facienda est, ut: colorum alia sunt nigra, alia sunt alba, alia neutra. Fieret autem omnis diffinitio omnisque divisio duabus terminis, nisi (ut supra dictum est) indigentia, quae saepe existit in nomine, prohiberet. Quo autem modo utraeque duobus terminis fierent, erit manifestum hoc modo: cum enim dicimus, animalium alia rationalia sunt, alia irrationalia, animal rationale ad hominis diffinitionem tendit. Sed quoniam animalis rationalis unum nomen non est, ponamus ei nomen a litteram. Rursus a litterae quod est animal rationale, alia mortalia sunt, alia immortalia. Volentes igitur diffinitionem hominis reddere dicemus, homo est a littera mortalis. Nam si hominis diffinitio est animal rationale mortale, animal vero rationale per a litteram significatur, idem sentit a mortale, tanquam si diceretur animal rationale mortale, a enim (ut dictum est) animal rationale significat. Sic ergo a littera et mortali duobus terminis facta est hominis diffinitio. Quod si reperirentur in omnibus quoque nomina, duobus terminis semper tota fieret diffinitio. Divisio quoque, nominibus positis, quoniam semper in duos terminos secatur, manifestum est, si quis generi et differentiae, cum deest, nomen imponat, ut cum dicimus: Figurarum quaedam sunt trilaterae, aliae sunt aequilaterae, aliae duo latera habentes aequalia, aliae totae inaequales sunt. Trina igitur divisio ista, si proferretur, fieret duplex. Figurarum, quae sunt trilaterae, aliae sunt aequales, aliae inaequales. Inaequalium aliae sunt duo latera tantum aequa habentes, alia tria inaequalia, id est omnia, et cum dicimus rerum omnium, alia sunt bona, alia sunt mala, alia indifferentia, quae scilicet neque bona

neque mala sunt, et, si ita diceretur, gemina divisio proveniret: Rerum omnium alia sunt differentia, alia indifferentia. Differentium alia sunt bona, alia mala. Ita ergo divisio omnis in gemina secaretur, si speciebus et differentiis vocabula non deessent.

## Commentum Alberti.

De contrariorum autem oppositione forsitan aliquis dubitabit, an ipsa etiam secundum privationem et habitum esse videatur. Contraria enim reducuntur ad privative opposita, sicut docet Aristoteles in decimo primae philosophiae, sicut est videre in albo et nigro. Nigrum enim est ex privatione lucis in superficie corporis terminati. Dubitatur etiam, an album privatio nigri sit, et econtrario nigrum privatio sit albi. Et huius dubitationis causa est motus, qui est de privatione ad habitum sicut ad formam. Est autem motus aequaliter de albo in nigrum et de nigro in album. Constat autem, quod unum contrariorum potentiam habet ad reliquum, quantum ad mobile subiectum. Nihil autem movetur ad aliquid, nisi potentia et inchoatione sit in illo, ut nigrum movetur ex non nigro, non ex quolibet, sed ex eo, quod potest esse nigrum, et ideo in omnibus talibus privatio fundatur in contrario. Haec autem alias sive alibi determinanda, ut diximus. Nunc vero quantum ad praesentem spectat intentionem, ita tractandum est de contrarietate, tamquam si sit aliud genus oppositionis ab oppositis secundum privationem et habitum. Differunt enim in hoc, quod contraria sunt formae contrariae, quarum utraque est in actu et sunt unius generis proximi. Privatio autem non est forma, nisi dispositionis et habilitatis ad formam, quam relinquit in subiecto et supponit, sed non est actus determinatus, sed potius privatio illius. Habitus autem est actus perfectus. Quamquam autem contraria sint formae actuales, tamen alterum privatio potest esse secundum causam, sicut nigrum, cuius causa est privatio lucis penetrantis in superficiem corporis terminati terrestris. Causa autem albi actus et habitus lucis clare penetrantis in superficiem terminati corporis claram et undique intra se lucem suscipientem; et sic est de calido et frigido, quia frigidum causatur ab eo, quod privat et sistit motum a centro rei

26 F in actu; A-E actu. — 36 A-D suscipientem; E recipientem; F suscipientis.

10 Arit. Metaph. lib. X. cap. 6 p. 1063b 18 et sequitur exemplum de albo et nigro hic allatum.

ad superficiem, calidum autem ab eo quod facit motum eundem, et sic est in aliis. Sed haec alterius sunt intentionis et doctrinae. Et quia sic differunt contrarietatis et privationis et habitus oppositiones, ideo ab ipso Aristotele in Praedicamentis determinatum est, quod contrarietas aliud genus sit oppositionis quam privatio et habitus. Propter quod specialiter ostendendum est, qualiter fiat generis divisio per hoc genus oppositionis. Dicamus igitur, quod in contrariis generum, sive quae sunt in generibus, et multa et multiformis est divisio. Fere enim cunctas differentias, per quas genus dividitur, dicimus in contrariis sive in contrariorum oppositione contineri. *Fere* autem dicimus, non quod aliqua sint, quae non per contraria dividantur, secundum quod privatio et habitus sunt contraria, sed quia aliqua sunt, quibus nihil est contrarium, secundum quod contraria ab oppositione privationis et habitus separantur, ut substantiae, quantitati, habitui et huiusmodi. Quantitas enim habet contrarium secundum id, quod in ea est motus. Sed hoc contrarium qualitatis est circa quantitatem dictae, sicut in Praedicamentis tractatu de Quantitate dictum est. Sed quoniam alia sunt contraria medio carentia, quae immediata dicuntur, alia vero sunt medium habentia, quae mediata dicuntur, ita quoque duabus modis per contraria facienda est generis divisio. Per mediata quidem, ut si dicam: *Colorum alii sunt albi, alii sunt nigri, alii neutri, qui nec albi nec nigri sunt.* Quia, nisi medium in divisione ponatur, per dividentia non tota manifestabitur potentia communitatis divisi generis. In omni autem divisione hoc generaliter verum est, quod per dividentia tota debet manifestari potentia divisi, quia aliter divisio insufficiens, quando non manifestat ea, quae latent in diviso. Sicut autem iam ante diximus, omnis divisio et omnis distributio communitatis generis proculdubio fieret duobus terminis sufficienter divisionem terminantibus, nisi hoc indigentia in nominibus specierum subalternarum et generum, quae saepissime evenit, prohiberet. Quo autem modo utraeque divisiones scilicet per contraria mediata et per contraria immediata factae, duobus fierent terminis hoc modo, quo dicimus, erit manifestum per exemplum. Cum enim dicitur: *animalium alia sunt rationalia, alia irrationalia,*

---

13 E privatio A B D potentia.

4 Arist. Praedicam. cap. X: Quare manifestum est neutro modo ut contraria opponi ea, quae sec. privationem et habitum opponuntur. p. 13, 16–18. — 18 Alb. de Praedicam. tract. III cap. 12. (I p. 217 cfr. p. 266.)

rationale animal ad hominis definitionem contendit sive ordinatur. Sed quia animalis rationalis contenta alia sunt mortalia, alia immortalia, ideo est quod hominis diffinitio est animal rationale mortale. Et quia animalis rationalis unum nomen simplex non est, ponamus ei unum nomen, quod sit a. Tunc rursus dividendo dicamus, quod eius, quod est a, alia sunt mortalia, alia immortalia. Volentes igitur diffinitionem ex divisione data congregare dicimus, quod homo est a mortale. a enim, ut positum est, animal rationale significat. Unde idem est a mortale, quod animal rationale mortale, et sic duobus terminis tota diffinitio clauderetur, si non obstaret nominum indigentia. Quando enim species nominibus carent, tunc etiam differentia ultima, constitutiva speciei, caret nomine, et tunc oportet multas generales differentias coniungere, ut complexione illarum convertibilis cum specie fiat diffinitio; et de hac sola diffinitione verum est, quod partes sunt in plus et totum in aeque, et dictum hoc non est dictum propter naturam rei sed propter nominum indigentiam, sicut saepius dictum est. Si enim in omnibus speciebus reperirentur nomina, tunc semper in omnibus tota diffinitio duobus solis constitueretur, scilicet nomine generis proximi et nomine ultimae et convertibilis cum specie differentiae. Quod autem divisio generis semper secetur et dividatur in duobus terminis, si nomina specierum subalternarum sint posita, manifestum est ex dicendis, si quis enim generi et differentiae nomen imponat, quando deest et non est positum. Hoc autem exemplariter manifestum est, ut cum dicimus dividendo: Figurarum quaedam sunt trilaterae, hoc est tribus rectis lineis contentae; aliae sunt aequilaterae, aliae duo latera aequalia habentes, aliae totae, hoc est secundum omnia tria latera, sunt inaequales. Trina igitur sive trimembris ista divisio ad bimembrem reducetur, si sic proferatur: Figurarum trilaterarum aliae sunt aequalium laterum, aliae inaequalium. Inaequalium autem trilaterarum aliae sunt duo aequalia latera habentes tantum et tertium inaequale, aliae autem sunt omnia latera habentes inaequalia. Similiter etiam est in alia materia, sicut cum dicimus: Rerum omnium alia sunt bona, alia mala, alia autem indifferentia, quae nec bona nec mala iudicantur. Hoc enim ad bimembrem reducetur divisionem, si ita dicatur, ut gemina sive bimembris fiat divisio:

20 B-F proximi; A proprii.

Rerum omnium alia sunt differentia, per boni scilicet vel mali differentias, alia sunt indifferentia, hoc est differentias constitutivas boni vel mali non habentia, et rursum alterius membri fiat divisio sic: Differentium alia sunt bona, alia mala. Ita igitur omnis divisio in geminis hoc est duobus membris secatur et bimembris fiet, si speciebus subalternis et differentiis propriis et convertibilibus vocabula propria non deessent.

---

## Capitulum septimum.

### Quod secundum oppositionem relationis non est divisio generis.

---

## Textus Boethii.

Quartam vero oppositionem diximus, quae est secundum ad aliquid, ut pater, filius, dominus, servus, duplex, medium, sensibile, sensus. Haec igitur nullam habent substantialem differentiam, qua a se discrepent, imo potius habent hujusmodi cognationem, qua ad se invicem referuntur, ac sine se esse non possint. Non est ergo generis in relativas partes facienda divisio, sed tota hujusmodi sectio a genere separanda est. Neque enim hominis est species servus aut dominus, nec numeri medium aut duplum. Cum igitur quattuor sunt differentiae oppositionum, affirmationis et negationis, si non necesse est, semper tamen relationis rejicienda est divisio, privationis et habitus et contrariorum sumendae. Maxime autem contrarietas in differentiis ponenda est, nec non etiam privatio, idcirco quoniam quiddam contra habitum contrarium videtur opponi, ut est finitum et infinitum. Quamquam enim privatio sit infinitum, tamen contrarii imaginatione formatur. Est quaedam namque (ut dictum est) forma.

## Commentum Alberti.

Quartum vero genus oppositionis est, quod dicimus secundum ad aliquid oppositionis modum, ut pater et filius, dominus et servus et hujusmodi, sicut duplum et dimidium, sensibile et sensus et alia, quaecunque ad aliquid sunt vel dicuntur. Talia autem nullam habent substantialem differentiam, quia semper super alia fundantur genera et ideo nulla substantiali differentia discrepant a se invicem. Quinimo etiam in ipsa oppositione

habent ad invicem cognationem quandam, qua ad se invicem referuntur, et dependet unum ad aliud et econverso ita, quod sine se invicem esse non possunt. Non est autem generis in relativas partes facienda divisio, quia partes generis se invicem expellunt ab eodem, et nullo modo dependent ad invicem, sed quaelibet in se est absoluta. Unde omnis et tota huiusmodi relativorum sectio est a natura divisionis generis separanda.

Neque enim hominis species est servus aut dominus, sed accidens conditionis. Neque etiam numeri species sunt duplum aut dimidium, sed accidentia, eo quod, sicut diximus, relatio semper super alia fundatur genera. Cum igitur sint quattuor oppositionis differentiae, scilicet affirmationis et negationis, privationis et habitus, contrarietatis et relationis, affirmationis quidem et negationis non est sumenda divisio, si non necesse sit propter nominum defectum. Aliter enim contrarietatis ad divisionem generis sufficeret divisio vel privationis et habitus, secundum quod contraria ad privationem et habitum reducuntur. Quidquid autem sit de oppositis, ut affirmatione et negatione vel aliis, tamen hoc semper observandum, quod a divisione generis semper reiiciatur relativorum oppositio, maxime vero et primo contrarietas in differentiis genus ipsum dividentibus ponenda in generis divisione. Privatio etiam et habitus recipiuntur in generis divisione idcirco, quia privatio videtur obtinere quoddam contrarium, hoc est cuiusdam contrarii oppositionem contra habitum, sicut diximus, quia dispositionem et habitudinem supponit in subiecto, quae reducuntur ad naturam formae et ordinantur ad habitum sicut, exemplariter loquendo, finitum et infinitum. Quamvis enim infinitum sit privatio et privative nominetur, tamen formatur et quandam formam dicit imaginatione contrarii habitus.

Cum enim dicitur infinitum, non dicitur infinitum eo, quod privetur omnibus, quae ordinantur ad finem, sed tantum ex hoc, quod privatur ultimo fine, qui actu finit et determinat. Dispositio autem et habitudine et ordine ad finem non privatur. Dispositio autem et habitudo et ordo habitus sunt quaedam inchoationes, et quoad hoc privatio formae est ad habitum imaginativo intellectu ordinata. Et hoc est, quod dicit Aristoteles in fine primi Physicorum, quod a l t e r a p a r s c o n t r a r i e-

18 B D E affirmatione et negatione; A F affirmativo et negativo. — 20 E F maxime vero et primo; A B maxima vero et prima.

38 Arist. Phys. lib. I cap. 9 p. 192, 15—16. Textus, ap. Alb. pessime corruptus, sic est restituendus: „At contrarietatis altera pars nec esse omnino

tatis imaginatur ad maleficium ab aliquo protendente intellectum, et est sensus, quod altera pars, quae est ad maleficium privationis, imaginari potest, si aliquis protendat intellectum, considerans ordinem privationis ad habitum. Tunc autem videbitur, quod privatio non est in toto privatio, sed quaedam forma respiciens habitum, salvata in contrario, quod est potentia ad alterum, et ideo motus est ex ipso ad alterum oppositum. Sic ergo privatio forma est, fundata in contrario, et quoad hoc proprie sumitur in divisione generum sicut contrariorum oppositio.

## Capitulum octavum.

### Quod per immediata divisio generis debet fieri.

## Textus Boethii.

Dignum vero inquisitu est, utrum in species an in differentias recte genera dividantur. Diffinitio namque divisionis est generis in species proximas distributio. Oportet igitur secundum naturam divisionis et secundum diffinitionem in proprias species semper fieri generis disgregationem. Sed hoc interdum fieri nequit propter eam, quam supra reddimus causam. Multis enim speciebus non sunt nomina. Atque ideo quoniam quaedam sunt prima genera, quaedam ultima, quaedam media. Primum quidem ut substantia, ultimum ut animal, medium ut corpus. Corpus namque animalis genus est, substantia corporis. Sed quemadmodum neque super substantiam quidquam inveniri potest, quod generis loco valeat collocari, sic neque sub animali. Homo namque species non genus est. Quare antiquior videbitur speciei divisio, si indigentia nominum non sint. Quodsi his omnibus non abundamus, prima genera usque ad ultima convenit in differentias separare. Hoc autem fit hoc modo, ut primum genus in suas differentias disgregemus, non in posterioris; et rursus posterius in suas, sed non in posterioris. Neque enim eaedem sunt differentiae corporis quae animalis. Si quis enim dicat: substantiae aliud est corporale, aliud incorporale, recte divisionem fecerit. Hae namque differentiae propriae substantiae sunt. Si quis vero sic dicat: substantiarum alia sunt animata, alia inanimata,

persaepe ei videbitur, qui mente ipsius maleficium intuetur". Sec. antiquam versionem vero textus sic se habet: „Altera vero pars contrarietatis multoties imaginabitur ad maleficium ipsius protendenti intellectum." Opp. S. Thom. vol. 22 p. 333.

hic non recte substantiae differentias segregavit. Corporis namque differentiae hae sunt, non substantiae, id est secundi generis, non primi. Quare manifestum est, secundum proprias differentias, non secundum posterioris generis, priorum generum divisionem esse faciendam. Quoties autem genus aut in differentias, aut in species solvitur, post divisionem factam mox diffinitiones aut exempla subdenda sunt. Sed si quis diffinitionibus non abundat, satis est exempla subjicere, ut cum dicimus: corporum alia sunt animata, subjiciamus, ut homines vel ferae; alia inanimata, ut lapides. Oportet autem divisionem quoque, sicut terminum, neque diminutam esse, neque superfluam. Nam neque plures species, quam quae sub genere sunt, oportet apponi, neque pauciores, ut in seipsam divisio, sicut terminus, convertatur. Convertitur enim terminus sic: virtus est mentis habitus optimus; rursus: mentis habitus optimus virtus est. Sic etiam divisio; omne genus aliquid eorum erit, quae sunt, species proprium genus est; rursus, quaelibet species proprium genus est. Fit autem generis ejusdem divisio multipliciter, ut omnium corporum, et quaecunque sunt alicujus magnitudinis. Sicut enim circulum in semicirculos et in eos, quos Graeci vocant tomeis, nos divisiones possumus dicere, distribuimus, et tetragonum alias ducta per angulum diametro in triangula, alias in parallelogrammata, alias in tetragona separamus. Ita quoque genus, ut cum dicimus: numerorum alii sunt pares, alii impares, et rursus: alii primi, alii non primi; et triangulorum alia sunt aequilatera, alia duo sola latera aequalia habentia, alia totis inaequalia lateribus, et rursus: triangulorum alia sunt recti anguli, alia acutos habentia tres angulos, alia obtusi unius. Sic igitur generis unius sit divisio multiplex. Illud autem scire perutile est, quoniam genus una quodammodo multarum specierum similitudo est, quae earum omnium convenientiam substantialem monstret: atque ideo collectivum plurimarum specierum genus est. Disjunctivae vero unius generis species sunt, quae, quoniam differentiis informantur (ut dictum est), idcirco sub uno genere minus duabus speciebus esse non possunt. Omnis enim differentia in differentium pluralitate consistit. Sed de divisione generis et speciei perplura dicta sunt.

## Commentum Alberti.

Dignum est autem inquisitione, utrum in species et differentias genera recta dividantur, quacunque divisione. Dicimus igitur

39 E F utrum. A-D ut cum.

quod diffinitio finitae divisionis est, quod genus in proximas et immediatas species distribuatur, quia aliter divisa secundum totam suam potestatem non manifestarentur per dividentia. Qui igitur vult sequi naturam divisionis et diffinitionem eius oportet, quod in proximas species genus disgregetur sive dividatur. Hoc autem interdum fieri non potest propter causam, quam superius assignavimus. Multis enim speciebus subalternis non sunt nomina posita, et propter hoc, quia genera quaedam sunt prima, et quaedam ultima, et quaedam media. Primum quidem, quod supremum est, ut substantia, ultimum autem, quod est sub se non habens genus, ut animal. Medium autem, quod est genus, habet super se et sub se, ut corpus. Corpus enim animalis genus est. Substantia autem genus est corporis. Supra substantiam enim non potest inveniri quidquam, quod generis loco valeat collocari, quia ens, quod solum supra substantiam est, non est genus eo, quod univoce non praedicatur de substantia et aliis generibus. Nec sub animali, quod est ultimum genus, quidquam invenitur, quod generis possit habere rationem; quia genus est, quod praedicatur de pluribus differentibus specie. Homo enim, qui sub animali est, species est specialissima, et ideo non potest esse genus. Propter quod antiquior sive prior videbitur divisio specierum, hoc est generum in species, quam generis per differentias, si non sit indigentia nominum impediens. Dico autem antiquiorem secundum naturam priorem, quia unicuique naturalius dividi in partes, quam in suas qualitates. Partes autem generum sunt species. Differentiae autem generum sunt qualitates. Si autem specierum nominibus non abundamus, sed caremus, tunc convenit prima genera et suprema usque ad ultima per differentias supremas et immediatas separare.

Hoc autem modo fieri debet, ut scilicet primum et supremum genus in differentias immediatas et totam generis potestatem dividentes segregemus, hoc est dividamus, et non in posteriores sive mediatas. Mediatae autem sunt, quae sunt mediatarum specierum constitutivae differentiae; et habito genere medio dividamus et hoc rursus in suas immediatas differentias et non in posteriores sive mediatas; et similiter et hoc tertium genus dividamus in suas proprias et non in eas, quae sunt inferioris generis, differentias. Non enim sunt eaedem differentiae superioris et inferioris generis, quia non sunt differentiae corporis,

16 B C E F sub-animali; A D substantiali. — 19 B C E F sub animali; A D substantialis. — 38 39 generis — generis. *om.* A-D, F.

quae sunt differentiae animalis. Si quis enim dividens sic dicit: Substantiae aliud est substantia corporalis, aliud substantia incorporalis, recte et per propria et immediata fecit divisionem. Corporale enim et incorporale substantiae propriae et immediatae sunt differentiae. Si quis vero dividere volens substantiam sic dixerit: Substantiarum alia est animata et alia inanimata, non recte et per immediata differentias segregavit. Illae enim sunt immediatae differentiae corporis, quas substantiae assignavit, nec substantiae conveniunt, nisi mediante corpore. Et sic sunt differentiae sub substantia secundi generis, et non sunt differentiae primi generis, hoc est substantiae. Ex quo manifestum est, secundum proprias differentias et non secundum posterioris generis differentias, faciendam esse semper priorum generum divisionem. Quotiens autem genus in differentias solvitur sive dividitur aut in species, post divisionem factam mox exempla vel diffinitio subdenda sunt. Diffinitio quidem, ut collectione dividentium et divisorum constituatur species subalterna, quae ulterius dividenda est. Exempla vero, ut exemplis dividentia innotescant. Si autem aliquis propter defectum nominum diffinitionibus non abundat, satis ad doctrinam est exempla subiicere, ut cum dividentes dicimus: Corporum alia animata, et alia inanimata, subiiciamus dicentes: animata ut homines vel ferae brutae, inanimata ut lapides.

Est autem hic advertendum, quod oportet omnem divisionem, quaecumque divisio generis sit vel alterius, esse convertibilem sicut terminum, qui est diffinitio, et nec diminutam esse nec superfluam. Non enim oportet in divisione generis plures species apponi, quam sunt sub genere, nec etiam pauciores, ut in se ipsam, sicut terminus diffinitionis, ipsa divisio convertatur, divisum scilicet ad omnia dividentia, et dividentia ad divisum totum. Convertitur enim diffinitio, quae terminus est, sicut patet, cum dicitur, quod virtus est habitus mentis optimus sive bene constitutae. Tunc enim omnis virtus est habitus optimus, et econtra omnis habitus optimus est virtus mentis. Sic est etiam facienda divisio. Omne enim genus, sive totum genus, est aliquid eorum, quae sunt; quia genus extra omnes species non invenitur, et e converso quaelibet species simul sunt proprium genus, quia totam habent generis proprii potestatem.

Intelligendum etiam est, quod eiusdem generis potest fieri multipliciter divisio. Potest enim dividi ut totum uni-

8 A B D F immediata; C E immediatas. — A-E differentias: F differentia.

versale, et ut totum integrale. Ut totum quidem universale, quando dividitur in partes, de quibus totum nomine et ratione praedicatur. Ut totum autem integrale, quando dividitur in ea, ex quibus integratur potestas ipsius, cuius partem quaelibet habet species, et nulla totam, sed omnes simul collectae totam habent, sicut etiam in scientia Universalium diximus, et sic dividitur genus, secundum quod est totum potestativum.

Secundum autem, quod dividitur ut genus, sic secundum totam essentiam est in qualibet suarum specierum tota, et essentialiter praedicatur de qualibet earum, et hoc simile est divisioni omnium corporum et omnium eorum, quae magnitudinem habent divisibilem. Omnia enim illa duplicem habent divisionem. Sic enim circulus, ut totam integrale acceptus, dividitur in semicirculos, hoc est dimidios circulos, et in eas partes, quas Graeci tomeas vocant, quas nos divisiones vel partitiones semicirculo maiores vel minores, secundum Euclidem, possumus appellare. Similiter etiam tetragonos integraliter quosdam quidem in triangulos, ductis per angulos tetragoni lineis diametralibus, et sic in quatuor trigonos tetragonum separamus, integritatem tetragoni totam continentes simul, cuius quidem quilibet trigonus partem habet, nullus autem totam. Sic etiam dividimus tetragonum, quando linea recta, ducta a latere in latus, totum tetragonum in parallelogrammata separamus, hoc est quadrangula parallelis lineis infra tetragonum descripta. Sic enim iterum quodlibet parallelogramma partem tetragoni continet, et nullum continet totum, sed omnia simul totum continent et componunt. Sic etiam tetragonum integraliter separamus in tetragona, ductis lineis a medio unius lateris ad medium lateris oppositi ex utraque parte. Tunc enim iterum quodlibet partialium tetragonorum continet partem totius tetragoni, et nullum continet totum, sed omnia simul totum continent. Ita quoque, quoad integritatem suae potestatis separamus genus, quando dicimus: Numerorum alii sunt pares, alii impares, vel cum dicimus: Numerorum alii sunt primi, alii non primi. Potestatem enim generis in parte habet par, et partem potestatis retinet impar. Totam autem numeri, quod est genus, potestatem habent ambo simul par scilicet et impar. Et similiter est de primis et non primis, quae per affirmationem et negationem opponuntur.

---

15 E F quas graeci tomeas vocant: A-D quas gyrato meas vocant.!! — 22 A-D Sic etiam dividimus tetragonum; E F Similiter integra tetragonus. — 31 Ita quoque. *Sic ex textu Boethii hic.* A-C, E Ad eundem; D..F Ad eadem.
6 Alb. de Univ. tract III cap. I Opp. I p. 44.

Similiter etiam in continuis est, sicut cum secundum potestatem suae communitatis dividimus hoc genus, quod est triangulus, et dicimus, quod triangulorum alius est aequalium laterum, alius autem duo latera habet aequalia, alius autem omnibus inaequalibus lateribus constans. Quodlibet enim illorum partem habet communitatis generis et nullum habet totam, sed omnia simul habent totam. Similiter si dicamus: Triangulorum alii sunt acuti anguli, qui oxygonii graece dicuntur, alii recti anguli, qui orthogonii graece vocantur, alii obtusi anguli, qui habent angulum maiorem recto. In omnibus enim his communitas totius actualis colligitur et integratur ex partium communitate, et tamen essentia generis in qualibet secundum actum et intellectum est tota. Sic igitur generis unius per species et differentias fit multiplex divisio. Illud autem in omnibus huiusmodi divisionibus scire perutile est, quod genus unum quodammodo, unitate scilicet generis non differentiae, multarum specierum similitudo est essentialis, in essentia cuiuslibet totum existens, secundum quod ipsum est quid uniuscuiusque speciei, secundum actum et intellectum existens in qualibet. Et haec similitudo essentialis specierum, quae est genus, demonstrat convenientiam substantialem omnium specierum. Et propter hoc genus collectivum est plurimarum specierum, ex quibus colligitur totalitas potestatis ipsius, et sic ut totum se habet ad species; et sicut collectione specierum fit potestas generis, similiter divisione sive seiunctione potestatis generis fiunt species. Species autem, quia non fiunt nisi per informationem differentiarum constitutivarum, ideo est, quod sub uno genere non possunt esse minus quam duae species. Omnis enim differentia consistit in pluralitate discrepantium sive differentium a se invicem. Non enim est differentia, quae condifferentiam oppositam sibi non habeat, et ideo, si una differentia facit speciem unam, illi opposita differentia constituit speciem alteram, et sic ad minus duae species sub uno genere accipiuntur. Sed de divisione generis, qualiter et per quae facienda est, iam plura dicta sunt. Restat nunc dicere, qualiter divisione generis ad diffinitionem perveniatur.

17 E F unum; A autem; B cum; C D tamen. — 22 A-D F substantialem; E essentialem. — 23 AF plurimarum; E multarum.

# Capitulum nonum.

## Qualiter per divisionem ad diffinitionem pervenitur.

---

## Textus Boethii.

Hanc igitur insistentibus viam promptior per divisionem generis ad speciei diffinitionem facultas aperitur. Oportet autem non solum, quas ad diffinitionem sumamus, differentias addiscere, sed ipsius diffinitionis artem diligentissima cognitione complecti. Et illud quidem: an ulla possit diffinitio demonstrari, et quemadmodum per demonstrationem valeat inveniri, et quaecunque de ea subtilius in Postremis Analyticis ab Aristotele tractata sunt praetermittam. Solam tantum exsequar diffiniendi regulam. Rerum enim aliae sunt superiores, aliae inferiores, aliae mediae. Superiores quidem diffinitio nulla complectitur, idcirco quod earum superiora genera inveniri non possunt. Porro autem inferiores, ut sunt individua, ipsa quoque specificis differentiis carent. Quocirca ipsa quoque a diffinitione seclusa sunt. Mediae igitur, quae et habent genera, et de aliis, vel generibus, vel de speciebus, vel de individuis praedicantur sub diffinitionem cadere possunt. Data igitur hujusmodi specie, quae et genus habeat, et de posterioribus praedicetur, primo ejus sumo genus, et illius generis differentias divido, et adjungo differentiam generi, et video, num illa differentia juncta cum genere aequalis possit esse cum specie, quam circumscribendam diffinitione suscepi; quod si minor fuerit species, illam rursus differentiam, quam dudum cum genere posueramus, quasi genus ponimus, eamque in alias suas differentias separamus, et rursus has duas differentias superiori generi conjungimus; et si aequavit speciem, diffinitio speciei esse dicetur; sin minus fuerit, secundum differentiam rursus in alia separamus. Quas omnes conjungimus cum genere, et rursus speculamus, si omnes differentiae cum genere illi aequales sint speciei, quae diffinitur, et postremo toties differentias differentiis distribuimus, usque dum omnes junctae generi speciem aequali diffinitione describant. Hujus autem rei clariorem facient exempla notitiam hoc modo: Si est nobis propositum diffinire nomen, vocabulum nominis de pluribus nominibus praedicatur, et quodam modo species continens sub se individua. Diffinio ergo nomen sic: sumo ejus genus, quod est vox, et divido: vocum aliae sunt significativae, aliae vero minime; vox non significativa nihil ad

nomen, etenim nomen significat. Sumo ergo differentiam, quae est significativa, et jungo cum genere, id est cum voce, et dico: vox significativa, et tunc respicio, utrum genus hoc et differentia nomini sint aequalia. Sed nondum sunt aequalia, potest enim vox significativa esse, et non esse nomen. Sunt enim quaedam voces, quae dolorem designant; aliae, quae animi passiones naturaliter, quae nomina non sunt, ut interjectiones. Rursus ipsam vocem significativam in alias differentias divido: vocum significativarum aliae sunt secundum positionem hominum, aliae naturaliter, et vox quidem significans naturaliter nihil ad nomen, vox vero significans secundum positionem hominum nomini congruit. Quocirca has duas differentias significativam et secundum positionem jungo cum voce, id est cum genere, et dico: nomen est vox significativa secundum placitum. Sed rursus mihi non aequatur ad nomen. Sunt namque et verba voces significativae et secundum positionem. Non igitur solius nominis diffinitio est. Distribuo iterum differentiam, quae est secundum positionem, et dico: secundum positionem vocum significativarum aliae cum tempore, aliae sine tempore, et differentia quidem cum tempore nomini non conjungitur idcirco, quod verborum est consignificare tempora, nominum vero minime. Restat ergo, ut congruat illa differentia, quae est sine tempore. Jungo igitur has tres differentias generis, et dico: Nomen est vox significativa ad placitum sine tempore. Sed rursus mihi non plena conclusio diffinitionis occurrit, potest enim vox et significativa, et secumdum positionem, et sine tempore esse, et nomen non esse unum, sed nomina juncta, quae est oratio, ut Socrates cum Platone et discipulis. Sed quamquam imperfecta quidem sit haec oratio, tamen est oratio. Quocirca ultima differentia, quae est sine tempore, aliis item differentiis dividenda est, et dicemus, vocum significativarum secundum positionem sine tempore aliae sunt, quarum pars extra aliquid significat, hoc pertinet ad orationem, aliae quarum pars extra nihil significat, hoc pertinet ad nomen. Nominis enim pars nihil extra designat. Fit ergo diffinitio sic: Nomen est vox significativa secundum placitum sine tempore, cujus nulla pars extra significat separata. Videsne igitur, quam recta diffinitio constituta sit? Nam quod dixi vocem, a caeteris sonis nomen disjunxi; quod significativam apposui, nomen ab non significativis vocibus separavi; quod secundum placitum et sine tempore, ab naturaliter significativis vocibus et a verbis proprietas nominis disjuncta est; quod ejus partes extra nihil significare proposui, ab oratione disjunxi, cujus partes aliquid separatae extra significant: unde fit,

ut quodcunque nomen fuerit, illa diffinitione claudatur, et ubicunque haec oratio diffinitionis aptabitur, illud esse nomen non dubites.

## Commentum Alberti.

Hac igitur nobis incedentibus via, promptior per divisionem generis ad speciei diffinitionem inveniendam nobis facultas et intellectus aperitur. Non enim oportet nos solum addiscere per hanc artem, quales differentias ad diffinitiones specierum debeamus assumere, sed etiam oportet nos per hanc artem certissima cognitione complecti artem diffinitionis, qualiter quodlibet sit diffiniendum. Dimittemus autem hic quaestiones de diffinitione alibi determinandas. Primo scilicet hanc: An ulla diffinitionum possit demonstrari an non? Secundam dimittemus hanc: Quemadmodum diffinitio valeat vel possit per demonstrationem inveniri? Dimittemus etiam quaecumque subtiliter de diffinitionibus in Posterioribus Analyticis perscrutanda sunt, solam enim hic diffiniendi regulam, sive qualiter aliquid diffiniendum sit, exequamur. Dicamus igitur secundum diffiniendi regulam, quod rerum, quas genus et species significant, aliae sunt superiores sive supremae, aliae autem inferiores sive infimae, aliae autem mediae inter has. Superiores autem sive supremae sunt prima genera generalissima, quae nulla diffinitio complectitur idcirco, quia earum superiora genera inveniri non possunt, per quae diffiniantur, cum omne, quod diffinitur, per proprium genus habeat diffiniri. Inferiores autem sive infimae, ut sunt individua, per materiam solam et proprium accidens differentia, carent specificis differentiis, quibus a se invicem differant, et ideo etiam diffinitionem et ipsa habere non possunt, quia omne, quod diffinitur, specifica diffinitur differentia, et ideo individua non habent propriam sed suae speciei diffinitionem. Media autem, quae habent et genera super se, per quae diffiniantur, et de aliis inferioribus vel generibus vel speciebus praedicantur vel etiam de individuis, quia per differentias ponuntur sub generibus superioribus, haec sub diffinitione cadere possunt, ut diffinibilia sive diffinitiones habentia. Data autem huius modi specie, sive subalterna sive specialissima, quae et genus super se habeat et de posteriori aliquo sive specie sive individuo praedicetur ut universale, primo volens invenire diffinitionem, sumo genus ipsius, et illius eiusdem generis proprias differentias divido, hoc

---

20 E F genus; A B D generatio; C genera.

est per divisionem generis invenio, et sumo et adiungo unam differentiam generi, et video, diligenter considerans, an illa differentia adiuncta cum genere aequalis possit esse et convertibilis cum ea specie, quam suscepi circumscribendam sive diffiniendam per diffinitionem, quam inquiro. Quodsi species, quam quaero diffinire, minor fuerit et minus communis quam genus iunctum differentiae, tunc rursum illam differentiam, quam generi dudum iunxeram, ponemus quasi genus dividendum, et eandem in alias suas proprias et immediatas differentias separamus et dividimus, et tunc rursus has duas differentias, superiorem scilicet et inferiorem, iungimus generi superiori, et si tunc genus iunctum duabus differentiis convertibiliter aequum est speciei, tunc illud totum simul diffinitio speciei dicetur. Si autem non est aequum, sed in minus est species, tunc secundo sumptam differentiam iterum dividemus in alias differentias, quas omnes, primas scilicet et secundas et tertias, coniungimus cum genere et rursum speculamur, utrum omnes differentiae dictae, iunctae cum generi illi speciei secundum conversionem sint aequales, quam diffinire intendimus. Et postremo toties differentias per differentias dividimus, usque dum omnes coniunctae generi speciem, quam diffinire quaerimus, aequali describant diffinitione. Huius autem doctrinae claram notitiam facient exempla hoc modo.

Ponamus, quod nomen, quod pars orationis est, sit diffiniendum a nobis. Considerabimus ergo primum, an nomen sit universale; quia non est diffinibile nisi universale, quod est species. Invenimus ergo sic considerando, quod nomen de pluribus, in quid est, praedicatur, quae solo differunt numero; et sic nomen est quaedam species, quae sub se continet individua particularia scilicet nomina. Diffinio ergo nomen sic dicens: *Nomen est vox significativa ad placitum sine tempore, cuius pars nihil extra significat.* Ex hanc probo nominis esse diffinitionem sic: Sumo enim primo genus nominis, quod est vox, et divido vocem sic: *Vocum aliae significativae, aliae non significativae.* Sed de voce non significativa nihil ad nominis diffinitionem. Nomen enim significat. Sumo igitur vocis illam differentiam, quae est significativa, et iungo cum genere, quod est vox, et facio vocem significativam, et tunc respicio, utrum genus et differentia simul iuncta nomini diffinito secundum conversionem sint aequalia vel non, et invenio, quod nondum aequalia sunt per conversionem. Potest enim aliqua vox significativa esse, et nomen non esse. Sunt enim voces quaedam, quae dolores designant et affectus; quaedam etiam designant naturaliter et naturales animi

passiones, ut gemitus et tussis, et voces etiam significant ut interiectiones, ut ha, euge et huiusmodi, et non tantum soni. Rursum, quia vox significativa cum nomine non convertitur, vocem significativam ulterius per differentias divido, dicens sic: Vocum significativarum aliae sunt significativae secundum positionem sive ad placitum, aliae vero sunt significativae naturaliter. Sed vox quidem significans naturaliter nihil pertinet ad nominis diffinitionem. Sed vox significativa ad hominum impositionem et beneplacito congruit nominis diffinitioni. Propter quod has duas differentias, superiorem scilicet et inferiorem, iungo cum genere voce, scilicet sic: Vox significativa secundum positionem sive placitum. Sed considerando, utrum adhuc aequetur convertibiliter cum nomine, invenio, quod non adhuc aequatur. Sunt enim et verba voces significativae ad positionem sive placitum, et tamen nomina non sunt. Haec igitur diffinitio non solius est nominis. Distribuo igitur sive divido secundam sive inferiorem iterum differentiam et dico: Vocum secundum positionem significativarum aliae significant cum tempore, aliae significant sine tempore, et differentia illa, quae est cum tempore significare, nomini non congruit idcirco, quod verborum est consignificare cum tempore, nominum vero non est significare cum tempore. Restat ergo, ut congruat nomini differentia isti opposita, quae est significare ad placitum sine tempore. Jungo ergo has tres differentias generi et dico: Nomen est vox significativa ad positionem sine tempore. Et iterum considero, an hoc totum convertibile sit, et invenio, quod non convertitur, et ideo non adhuc mihi occurrit plena diffinitionis nominis conclusio, in qua stetur sicut in conclusione. Potest enim vox aliqua esse significativa et secundum positionem et sine tempore, quae tamen nomen non est, ut oratio, sive perfecta sive imperfecta. Talis enim oratio nomen non est sed nomina iuncta, si oratio est imperfecta, ut si dicam: Socrates cum Platone et discipulis. Quamvis enim imperfecta sit haec oratio, tamen oratio est et non nomen. Propter quod ultima differentia, quae est sine tempore, aliis manentibus differentiis, dividenda est iterum sic dicendo, quod significativarum vocum secundum positionem sine tem-

1 A D gemitus; E F sonitus. — 8 A B significans; E significativa; F significant. — 22 A consignificare; B-F significare. — 25 tres sic *corrig. ex Boethii textu;* Mss. quatuor.

pore aliae sunt, quarum pars extra, hoc est separata, aliquid significat; aliae vero, quarum pars extra sive separata nihil significat, et tunc tandem sic fit diffinitio nominis. Quae enim extra significat, pertinet ad orationem, quae autem nihil extra significat, pertinet ad nomen. Nominis enim pars extra nihil significat, sicut nec alicuius incomplexi pars aliquid significat de toto incomplexo. Fit ergo diffinitio nominis sic: Nomen est vox significativa secundum placitum sine tempore, cuius pars nulla significativa est extra, separata a toto. Considera igitur, quam recta nominis diffinitio ex talibus divisionibus constituta sit. Nam, quod nomen dicitur vox, disiungit nomen a ceteris sonis, qui non sunt voces, et quod significativa appositum est, separat et dividit nomen a non significativis vocibus. Quod autem postea secundum placitum appositum est, a naturaliter significantibus vocibus nomen dividit, et quod apponitur sine tempore dividit nomen a verbo. Cum autem apponitur his, cuius partes extra nihil significant, ab oratione nomen differre facit, cuius partes de significatione totius aliquid extra separatae significant. Propter quod fit convertibilis diffinitio cum nomine sic, ut, quodcunque sit nomen, tali claudatur et terminetur diffinitione. Et ubicunque haec oratio, quae praedicta diffinitio est, per praedicationem aptari potest, illud nomen est procul dubio. Sic ergo per divisionem invenitur diffinitio.

---

## Capitulum decimum.

### Quod genus in divisione est totum et in diffinitione est pars.

## Textus Boethii.

Illud quoque dicendum est, quod genus in divisione totum est, in diffinitione pars, et sic est diffinitio, quasi partes totum quoddam conjungant, et sic est divisio, quasi totum solvatur in partes, et est similis divisio generis totius divisioni, diffinitio totius compositioni. Namque in divisione generis animal totum est hominis. Intra se enim complectitur hominem. In diffinitione

16 F a naturaliter sign. A-E *om.* a; A D materialiter.

vero pars est, speciem namque genus cum aliis differentiis junctum componit, ut cum dico: animalium alia sunt rationalia, alia irrationalia, et rursus: rationalium alia sunt mortalia, alia immortalia: animal rationalis totum est, et rursus rationale mortalis, et haec tria sunt hominis. Si vero in diffinitione dicam: homo est animal rationale mortale, tria haec unum hominem conjungunt. Quocirca pars ipsius hominis et genus et differentia reperitur. Sic ergo in divisione genus est totum, species pars. Eodem quoque modo differentiae totum sunt, species, in quas illae dividuntur, partes sunt. In diffinitione vero et genus et differentiae partes sunt. Diffinita vero species totum; sed haec hactenus.

## Commentum Alberti.

Illud quoque de generis divisione adhuc dicendum est, quod genus in divisione quidem totum est, sed in diffinitione est pars essentialis, quae loco materiae est. Sic enim se habet diffinitio ad diffinitum, quasi quaedam partes, quas diffinitio explicat, totum quoad esse diffinitum coniungant. Sic autem se habet ad divisum divisio, quasi quoddam totum solvatur in partes suas, et est secundum aliquid similis divisio generis totius integralis divisioni. Diffinitio antem similis est totius ex pluribus compositioni, cuius partes uniuntur in forma totius, quod patet, qui a in division generis, quod est animal divisum in hominem et cetera animalia, animal est totum ad hominem et ad alia animalia, sic enim intra se potestate complectitur hominem et alia animalia. In diffinitione vero animal pars est hominis essentialis. Speciem enim diffinitam componit genus iunctum cum aliis differentiis, sicût patet cum dico: Animalium alia sunt rationalia, alia irrationalia. Et rationalium animalium alia sunt mortalia, alia immortalia. In hac enim divisione animal rationalis totum est, et est etiam totum rationale, mortalis. Et haec tria sunt totum hominis. Si vero in diffinitione dicam sic: Homo est animal rationale, mortale, tria haec unum hominem ut totum essentiale iungunt et componunt. Propter quod pars ipsius esse reperitur et genus et differentiae. Sic igitur in divisione genus est totum, species autem pars, et eodem modo eadem species pars est differentiae, quae ut genus divisa est. Divisum enim est sicut totum. Ea autem, in quae dividitur, sunt sicut partes componentes illud totum, quod divisum est. In diffinitione vero speciei et genus et differentiae partes sunt. Sed totum harum partium est species diffinita. Omnia autem, quae hic dicta sunt,

facile intelligibilia sunt, si ad memoriam revocentur ea, quae in scientia de Universalibus determinata sunt. Ibi enim determinatum est, quod genus ad species se habet et ut totum potestativum et integrale, et ut genus universale. Si enim consideretur genus secundum suam potestatem, qua communitate quadam ambit species, proculdubio sic constituitur ex suis partibus, quarum quaelibet communitatis illius est pars et nulla totum; sed omnes simul totam iungunt et componunt generis in communitate potestatem, et sic est ut totum integrale, secundum quod potestativum totum ad integrale reducitur. Est autem alia generis consideratio, secundum quod est simplex natura formabilis in speciem per differentiam constituentem, et hoc modo est pars essentialis in diffinitione, quae est ut materia propter similitudinem formabilitatis, et sic cadit in diffinitione ut pars. Est autem, ut ibidem dictum est, non pars simpliciter, quia sic de toto non praedicaretur, sed ideo dicitur pars, quia, cum sit forma totius et totum, tamen particulariter et non secundum totum constituit, secundum quod dicit Aristoteles in tertio Physicorum, quod totum et perfectum idem dico. Non enim constituit genus nisi secundum potentiam et non secundum perfectum esse, et ideo est natura et notio totius, secundum quod totum esse totius est accipere in potentia et non in actu. Haec autem omnia in scientia Universalium per subtilitatem determinata sunt. Sed haec hactenus de generis divisione dicta sufficiant. De divisione autem totius post hoc relinquitur dicendum.

---

14 E F cadit; A-D eadem.

2 Alb. de Univ. tract. III cap. 1 in fine (I p. 44). Cfr. tract. VIII cap. 5 (I p. 130). — 18 Arist. Phys. III p. 207, 13—14: „Totum autem et perfectum, aut idem penitus sunt, aut naturam finitimam habent." — 22 Alb. de Univ. l. c. supra.

# Tractatus quartus.
## De divisione totius.

## Capitulum primum.
### Quot modis dicitur et est totum.

---

## Textus Boethii.

Nunc de ea divisione dicamus, quae totius est in partes. Haec erat enim secunda divisio post generis divisionem. Quod enim dicimus totum, multipliciter significamus. Totum namque est, quod continuum est, ut corpus vel linea, vel aliquid hujusmodi. Dicimus quoque totum, quod continuum non est, ut totum gregem, vel totum populum, vel totum exercitum. Dicimus quoque totum, quod universale est, ut hominem vel equum. Hi enim sunt toti suarum partium, id est hominum vel equorum, unde et particularem unumquemque hominem dicimus. Dicitur quoque totum, quod ex quibusdam virtutibus constat, ut animae alia est potentia sapiendi, alia sentiendi, alia vegetandi; partes sunt, sed non species.

## Commentum Alberti.

Dicamus ergo nunc de divisione, quae est totius in partes. Haec enim in superiori enumeratione erat secunda divisio inter essentiales divisiones et immediate sequens generis divisionem. Distinguamus autem primo, quot modis dicitur totum. Id enim, quod totum dicimus, multipliciter significamus, et haec multiplicitas est analogiae et non omnino univocae communitatis. Dicitur enim totum, quod continuitate totum est, ut continuitas largo nomine sumatur pro omnibus his, quae partibus compaginatis unum aliquid integrum constituunt, sive sint continua, sive per contactum sive per collam aliquam colligata, sive sint sibi invicem inserta, sive etiam foraminibus et poris et clavis conclavata, sive etiam alio quocunque modo naturali vel artificiali composita ad unum integraliter componendum. Sic ergo dicitur totum, quod continuum est quocunque modo, ut corpus vel linea vel aliquid huius modi, simile istis. Tot enim modis distinguitur continuum in

26 C largo modo sive nomine. — 28 A B D-F collam; C cordam.

sexto Physicorum. Dicimus etiam totum, quod non est continuum aliquo modorum, et quod nonnisi forma collectionis ad unum unitur. Sicut dicimus totum gregem multitudinem ovium ad unum pastorem ordinatam, et sic dicimus totum populum ad unum ius ordinatum vel ad unam civitatem, et totum exercitum ad unum ducem ordinatum, totum acervum ad unum locum conjectum. Dicimus etiam totum id, quod est universale, sicut dicimus totum hominem vel equum. Haec enim tota sunt earum partium subiectivarum, quae sunt sub ipsis. Propter quod et quemlibet individuum hominem vel equum dicimus particularem hominem vel equum. Dicitur quoque totum, quod quasi medium est duorum, quod scilicet est totum potestativum, quod ex virtutibus et potestatibus quibusdam constat, ut anima, secundum quod est totum potestativum — sic enim constat ex potentia sapiendi, quae est rationalis potentia et ex potentia sentiendi et ex potentia vegetandi — et totum animae, secundum quod est principium vitae et motus, consistit ex his potestatibus. Tale etiam totum est regnum, quod consistit ex potestatibus suis, quae sunt ducatus, praefectura, praesidatus et huiusmodi. Primo igitur toti pars respondet integralis. Secundo autem respondet pars, ut ita dicam, ad unum aliquo modo ordinabilis. Tertio autem respondet pars subiectiva vel subiicibilis. Quarto autem respondet pars potestativa, aliquid de potestate totius et non totum obtinens. Est autem adhuc totum essentiale, sicut species totum est complectens et genus et differentiam. Sed de hoc mentio non fit, quia sub universali continetur. Tot igitur modis totum dicitur. Mixtum enim, quod totum est miscibilia continens, et similiter confusum, sicut triticum et hordeum in eodem vase, sub continuo aut sub ordinativo toto continentur.

## Capitulum secundum.

### Qualiter fit cuiuslibet totius divisio specialis.

## Textus Boethii.

Tot igitur modis cum totum dicatur, facienda est totius divisio, primo quidem, si continuum fuerit, in eas partes, ex quibus

24 B essentiale; A C-F corporale. — 28 C-F [A aut] sub continuo aut sub ordinativo; A B D *om.* sub continuo; B D aut sub concavo aut sub ordinativo. — 31 A-D F *om.* specialis.

1 Arist. Physic. lib. VI cap. 1 in princ.; p. 231, 21—24.

ipsum totum constare perspicitur. Aliter enim divisio non fit. Hominis enim corpus ita in partes suas divides, in caput, manus, thoracem et pedes, et si quo alio modo secundum proprias partes fit recta divisio. Quorum autem multiplex est compositio, multiplex etiam est divisio, ut animal separatur quidem in partes eas, quae similes sibi habent partes, in carnes et ossa, rursus in eas, quae similes sibi non habent partes, in manus et pedes. Eodem quoque modo et navis et domus. Librum quoque in versus, atque hos in sermones, hos autem in syllabas, syllabas in literas solvimus. Ita fit, ut syllabae et literae et nomina et versus partes quaedam totius libri esse videantur, alio tamen modo acceptae non partes totius, sed partes partium sunt. Oportet autem non omnia speculari, quasi actu dividant, sed quasi animo et ratione, ut vinum aqua mistum dividimus in vina aquae mista; haec actu; dividimus etiam in vinum et aquam, ex quibus mistum est: haec ratione; haec enim jam mista actu separari non possunt.

Fit autem totius divisio in materiam atque formam. Aliter enim constat statua ex partibus suis, aliter ex materia et forma, id est ex aere et specie. Similiter autem etiam illa tota dividenda sunt, quae continua non sunt. Eodem quoque modo et ea, quae sunt universalia, ut: hominum alii sunt in Europa, alii in Africa, alii in Asia. Ejus quoque totius, quod ex virtutibus constat, hoc modo facienda est divisio. Animae alia pars est in virgultis, alia in animalibus, et rursus ejus, quae est in animalibus, alia est rationalis, alia sensibilis est. Et rursus haec aliis subdivisionibus dissipantur. Sed non est anima horum genus, sed totum, partes enim hae animae sunt, sed non ut in quantitate, sed ut in aliqua potestate et virtute. Ex his enim potentiis substantia animae jungitur; unde fit, ut quiddam simile habeat hujusmodi divisio, et generis et totius divisionis. Nam quod quaelibet pars, cujus fuerit, ejus animae praedicatio eam sequitur, ad generis divisionem refertur, cujus ubicunque species fuerit, ipsum mox consequitur genus; quod autem non omnis anima omnibus partibus jungitur, sed aliis alia, hoc ad totius naturam referri necesse est.

## Commentum Alberti.

Secundum autem quemlibet specialem modum totius, sic etiam fit specialis totius divisio. Primo quidem, si continuum, quocunque modo fuerit, debet dividi in partes, ex quibus ipsum totum constare videtur secundum quemlibet modum continuitatis. Aliter enim divisio totius in proprias partes non fieret. Hominis enim

corpus, quod compaginatione naturali continuum est in partes suas proprias ita divides, quod dividas ipsum in manus et pedes et caput et thoracem et alia membra officialia sive organica, quae Graeci heterogenea vocant. Secundum huiusmodi enim membra recta fit divisio, quia ex talibus corpus hominis, quod organicum est, componitur. Alias enim habet partes, quae sunt partium partes, ut est caro et os et nervus, quae similes sive homogeneae, ut Graeci dicunt, vocantur. Totorum autem, quorum est multiplex compositio, ita quod partes non sunt unius rationis, secundum quod partes sunt, eorundem etiam totorum secundum partes multiplex est divisio, ut si animalis corpus separetur quidem in suas partes consimiles, ut in carnem et ossa, quae sunt sibi similia, quia quaelibet habet nomen totius et rationem. Quaelibet enim pars carnis caro est, et quaelibet pars ossis est os, et qualibet pars nervi est nervus, et sic est de multis aliis. Rursus etiam corpus animalis habet partes, quae sibi hoc modo similes non sunt, quod quaelibet pars eorum nomen habeat et rationem totius; ut si dividatur in manus et pedes. Non enim quaelibet pars manus est manus, nec quaelibet pars pedis est pes. Eodem vero modo artificialia dividuntur, ut navis, domus et liber. Librum enim in versus linearum dividimus, et versus in sermones, et sermones dividimus in syllabas, et syllabas dividimus in literas, et in illis stat divisio. Et ita probatur, quod versus et dictiones sive nomina et syllabae et literae sunt partes totius libri. Alio tamen modo quodam acceptae non sunt immediatae partes totius, sed sunt partes partium, quae secundariae et mediatae vocantur, eo quod non componunt totum, nisi secundum quod stant sub formis partium principalium, et non prout sunt sub formis suis propriis. Et ideo in divisione totius considerandum, quod totum in proximas partes dividatur, et illae partes dividantur iterum in eas, quae illis proximae sunt, et sic procedatur usque ad ultimas, in quibus stat divisio. Oportet autem scire, quod haec nomina totorum, quae diximus, non oportet sic speculari, ac si actu semper dividantur, sive dividi possint, sed accipienda, quia de natura suarum partium sic animo et ratione divisibilia sunt, quamvis actu dividi non possint. Sicut dicimus dividi vinum aqua mixtum. Hoc enim dupliciter dividitur. Si enim dividatur in vina partialia aqua mixta, talis divisio actuali perficitur totius divisione in partes toti similes. Dividitur etiam vinum aqua mixtum in ea, quae mixta sunt, sicut in vinum et

---

3 E F officialia; A-D artificialia. — 23 A-D F versus et dictiones sive nomina; E versus sive dictiones et nomina.

aquam, sed haec divisio non potest fieri nisi animi ratione, quia actu separabilia non sunt ea, quae mixta sunt. Cum sicut dicit Aristoteles in secundo de Generatione: Mixtio miscibilium altera eorum fit unio. Fit autem etiam aliquando totius essentialis divisio et in materiam et in formam, quae tamen actu separabilia non sunt, sed ratione sola, quae fundatur in partium componentium diversa natura. Quod autem haec divisio diversa sit et alia a prima inducta, ex hoc probatur, quod aliter constat idoli statua ex partibus suis similibus sive dissimilibus integraliter, et aliter constat ex materia et forma tamquam essentialibus, quae sunt potentia et actus. Potentia enim materiae non est potentia ad partem, sed ad totum, et similiter forma non est actus partis sed totius. Partium autem integralium quaelibet potentia est pars et nulla potentia est totum. Est ergo ista alia a priori divisio. Sic enim statua constat ex aere, ut ex materia, et ex specie sive ex figura, ut ex forma et actu. Similiter etiam et illa tota in proprias partes dividenda sunt, quae non sunt continua sicut collectiva. Haec enim dividuntur secundum gradus ordinum suorum, ut exercitus alius dux, alius miles, alius autem satelles, et simile dicendum est de similibus. Eodem autem modo etiam in proprias partes dividenda sunt et illa tota, quae sunt universalia, in suas proprias partes subiectivas, loco et materia et substantia differentes, ut sic dicatur: Hominum alii in Europa, alii in Asia, alii in Africa. Particulares enim homines locis dividuntur particularibus. Similiter autem et illius totius, quod potestativum dicitur et ex particularibus potestatibus sive virtutibus constat, per proprias et proximas potestates debet fieri divisio. Sic animae, quae principium est vitae et motus, alia pars est in virgultis sive plantis per vitam nutrimenti et motum vegetabilem, alia in animalibus per vitam et motum sensibilem. Et rursus ea, quae est in animalibus, alia est potentiae rationalis, alia potentiae motus et vitae sensibilis tantum. Et rursus etiam, si necesse est, haec aliis subdivisionibus dividenda sunt usque ad ultimas potestates, in quibus stat divisio. Horum enim sic potestatem animae dividentium ipsa secundum se genus non est, sed ut totum potestativum se habet ad illa. Haec enim, quae dictae sunt, vere partes potestativae sunt; sed non sunt partes quantitativae, quae quantitatem aliquam in anima constituant, sed sunt partes secundum potestatem et virtutem. Ex his potentiis sive potestatibus iungitur sive componitur

4 Arist. de generat. lib. I cap. 10 in fine; p. 328[b] 22, 23. Textus ap. Alb. corruptus sic legendus: „Mixtio vero est miscibilium alteratorum unio".

substantia animae secundum id, quod anima est, quia sic est principium vitae et motus. Principium autem vitae et motus totum potestativum nominat, et non substantiam absolutam. Ex quo colligitur, quod divisio talis totius habeat aliquid simile cum divisione generis, et cum divisione totius etiam aliquid simile obtineat. In hoc enim, quod anima praedicatur de qualibet parte, ubicumque fuerit, sive in plantis, sive in brutis, sive in hominibus, simile aliquid habet ad generis divisionem. Generis enim, ubicumque fuerit species, sequitur praedicatio generis de specie, quia genus semper de specie praedicatur, sicut et anima de qualibet parte praedicatur. Quod autem non omnis anima sive tota anima secundum omne suum posse non cuilibet parti iungitur, hoc ad totius integri naturam referri necesse est. Sic igitur quodammodo media est sua propria divisio. Causa autem huius in libro de Anima assignata est, quia scilicet animae et cuiuslibet potestativi distinctio est eadem, quae est figurae, in qua unum potestate est in alio, ut trigonum in tetragono. Et ideo complementum potestatis in talibus est in ultimo, quia quidquid potest in talibus potentia inferior, hoc idem excellentius potest potentia superior. Unde cum potentia vegetabilis sit principium vitae et motus, hoc idem potest excellentius sensibilis anima, et excellentissime potest illud anima rationalis. Potestas enim inferiorum limitata est, ultima autem potestas est universalis, sicut cuilibet naturam totius potestativi bene consideranti patet.

# Tractatus quintus.

## De divisione vocis in significationes.

## Capitulum primum.

### Quot modis vox multa significat.

## Textus Boethii.

Restat igitur, ut de vocis in significationes divisione tractemus. Fit autem vocis divisio tribus modis. Dividitur enim in significationes plures, ut aequivoca vel ambigua. Plures enim res unum nomen significat, ut canis. Plures rursus una oratio, ut cum

12 A-D F posse; E esse.

14 distinctio *ex textu Boethii restit.* A-F diffinitio. — 14 Arist. de Anima lib. II, cap. 3, p. 414b 28—32.

dico Graecos vicisse Trojanos. Alio autem modo secundum modum, haec enim plura significant, sed multis modis, ut cum dicimus infinitum, unam rem quidem significat, cujus terminus inveniri non possit. Sed hoc dicimus aut secundum mensuram, aut secundum multitudinem, aut secundum speciem. Secundum mensuram, ut est infinitum esse mundum, magnitudine enim dicimus infinitum; secundum multitudinem, ut est infinitam esse corporum divisionem, infinitam namque divisionum multitudinem significamus. Rursus secundum speciem, ut infinitas dicimus figuras, infinitae enim sunt species figurarum. Dicimus etiam infinitum aliquid secundum tempus, ut infinitum dicimus mundum, cujus terminus secundum tempus inveniri non possit. Eodem quoque modo infinitum dicimus deum, cujus supernae vitae terminus inveniri secundum tempus non possit. Sic igitur haec vox non plura significat secundum se, sed multimode de singulis praedicatur, unum tamen ipsa significans, alius vero modus secundum determinationem. Quoties enim sine determinatione dicitur vox ulla, facit in intellectu dubitationem, ut est homo, haec enim vox multa significat. Nulla enim diffinitione conclusa audientis intelligentia multis raptatur fluctibus, erroribusque traducitur. Quod enim quisque auditor intelligat, ubi id, quod dicens loquitur, nulla determinatione concludit? Nisi enim quis ita diffiniat dicens: Omnis homo ambulat, aut certe quidam homo ambulat, et hoc nomine, si ita contingit, designet, intellectus audientis, quod rationabiliter intelligat, non habet. Sunt etiam aliae determinationes, ut si quis dicat, det mihi, quod dare debet nullus intelligit, nisi intellectus et certa ratio determinationis addatur; vel si quis dicat: ad me veni, quo veniat vel quando veniat nisi determinatione non cognoscitur. Est autem omne quidem ambiguum dubitabile, non omne tamen dubitabile est ambiguum. Haec enim, quae dicta sunt, dubitabilia quidem sunt, non tamen ambigua. In ambiguis enim utraque auditor rationabiliter seipsum intellexisse arbitratur, ut cum quis dicit: audio Graecos vicisse Trojanos, unus putat, quod Graeci Trojanos vicerint, alius quod Trojani Graecos, et haec uterque dicentis ipsius sermonibus rationabiliter intelligit. Quod enim ego non dixi, ille potius suspicabitur, quam aliqua ratione id, quod ante prolatum non est, perspicaciter videat.

## Commentum Alberti.

Restat ergo post hoc, ut tractemus de divisione vocis in sua significata principalia. Fit autem vocis in significata divisio tribus modis.

Primo quidem, quando dividitur in significationes, quas ipsa vox significat, sicut dividuntur aequivoca, vel secundum amphibologiam ambigua. Plures enim res actu significat aliquando nomen unum ut canis, quod pluribus institutionibus plura significat. Plures rursus significationes habet una oratio, ut cum dico: Graecos vicisse Romanos. Haec enim oratio ambigue plura significat.

Alio autem et secundo modo plura dicitur significare vox, quando quidem unum significat, sed diverso modo. Talis enim vox non multa significat, sed unum multis modis, sicut quando dicimus infinitum, quod quidem unam rem, quae finem non habet, significat, scilicet cuius terminus vel finis inveniri non potest. Sed hoc dicimus fieri multis modis. Terminus enim aliquando inveniri non potest secundum mensuram quantitatis continuae. Aliquando autem terminus inveniri non potest secundum multitudinem quantitatis discretae. Aliquando autem terminus non potest inveniri secundum speciem, quae finit id, cuius est species. Secundum mensuram quidem infinitum dicimus mundum, magnitudine quoad nos infinitum. Secundum multitudinem vero, sicut dicimus infinitam esse corporum divisionem eo, quod numero talem divisionem terminare non possumus. Cum enim dicimus corpora esse infinita, significamus, multitudinem divisione numeri quoad nos esse infinitam. Rursus autem secundum species dicimus infinitum, sicut figuras polygonias dicimus infinitas. Infinitae enim sunt potentia species figurarum polygoniarum. Adhuc autem dicimus infinitum aliquid secundum tempus, sicut infinitum dicimus mundum, quia eius principium et finem secundum temporis rationem et divisionem non invenimus. Eodem quoque modo infinitum dicimus deum, quia supernae vitae suae terminus inveniri non potest. Sic igitur haec vox infinitum non plura significat secundum seipsam. Semper enim significat id, cuius terminus inveniri non potest; sed significat multos modos eiusdem. Et ideo infinitum multimode sive multis modis de illis omnibus praedicatur, quod unum et idem secundum rationem communem est significans. Isti ergo sunt duo modi, secundum quos vox vel in significata plura vel in plures significandi modos debet distingui.

Tertius autem modus, quo vox multa non de se sed potestate significat, est, qui vocatur distinctio sive divisio vocis secundum determinationem, quae fieri potest ab eo, qui audit vocem propositam. Quoties enim sine determinatione vox proponitur, illa vox sine determinatione proposita facit in intellectu audientis dubi-

41 *Sic ex textu Boethii*; Ms. intellectum audientis cum dubitatione.

tationem, sicut si dicam homo. Haec enim vox communis est et multa significat. Et ideo, cum nulla determinatione conclusa restringitur ad unum aliquid significandum, tunc audientis eam intelligentia multivaga raptatur quasi fluctibus, et multis erroribus, quid significare velit, auditor traducitur. Quid enim certi potest auditor intelligere, ubi id, quod dicens confuse loquitur, confusum est et nulla determinatione conclusum, qua ad hoc vel illud significandum restringatur. Nisi enim aliquis determinando diffiniat vel restringendo per praedicatum diffiniat dicens: Omnis homo ambulat, aut particulariter: quidam homo ambulat et hunc nomine proprio designet, ut Socratem, si forte Socratem ambulare contingat, intellectus audientis non habet aliquid certum, quod rationabiliter ex hoc sermone intelligat.

Sunt tamen et alii modi determinationum dependentium et confusarum vocum, ut si aliquis dicat: Da mihi, et non addat, quis vel quid dare debeat. Tunc enim, quid dare debeat, nullus intelligit, nisi intellectus et certa addatur ratio determinationis, scilicet quid dare debeat, ut aurum vel panem. Similiter est, si quis dicat: Ad me veni, et non determinat, quis aut quo veniat. Hoc enim sine determinatione sciri non potest. Est autem advertendum, quod omne, quod ambiguum est, dubitabile est, sed non convertitur, quod omne dubitabile sit ambiguum. Est enim dubitatio incertus et indeterminatus motus sive discursus super utramque partem contradictionis, ita quod neutri inhaereat ratio. Ambiguum autem est, quod utramque partem contradictionis ambit, utrique propter rationes aequales inhaerens. Haec igitur, quae dicta sunt, dubitabilia quidem sunt, quando non determinantur, sed non sunt ambigua, quia ad nullum eorum ratio haeret. In ambiguis namque utraque auditor rationabiliter se arbitratur intellexisse. Sicut cum aliquis dicat: Audio Graecos vicisse Troianos, unus potest intelligere, quod Graeci Troianos vicerint, alius autem, quod Troiani vicerint Graecos, et uterque hoc, quod intelligit, ex ipsius dicentis sermonibus rationabiliter accipit. Cum autem dicit: Da mihi, et non plus addit, quid dare debeat, nullus homo ex ipsius dicentis sermonibus rationabiliter potest intelligere. Quia, quod ego sermone expresso non dixi, et alius me dixisse contendit,

---

4 *Six ex textu Boethii*; Mss. intelligentiam multis vagam captat. — 11 E F Socratem; A-D scitur rem. — 25 neutri inhaereat ratio; A E mentri haeret ratio; B D neutram haberet ratio; F *om.* — 29 A-F habetur. — 29 utraque *ex textu Boethii*; Mss. uterque. — 37 A sermone expresso; B-F sermonibus expresse.

ipse potius suspicatur vel suspicione fingit, quam quod a me prolatum sit. Et hoc quidem perspicabiliter est videre in omnibus. Semper enim ambiguum est, quod aequalibus rationibus multa significat. Dubium autem, quod sua confusione, nec ex se, sed ex suspicione audientis potest per multa determinari.

## Capitulum secundum.

### Qualiter in multiplici voce facienda est divisio.

## Textus Boethii.

Tot igitur modis, cum vocis divisio fiat, aut per significantias, aut per modum significationum, aut per determinationes, in his quae secundum significantiam dividuntur, non solum dividendae sunt significationes, sed etiam diversas res esse, quae significantur, diffinitione demonstrandum est. Aristoteles enim haec in Topicis diligenter praecepit, ut in his, quae dicuntur bona, alia sunt bona, ut ea, quae boni retinent qualitatem, alia, quae ipsa quidem nulla qualitate dicuntur, sed quod bonam rem faciunt, idcirco bona dicuntur. Oportet autem maxime exercere hanc artem, ut ipse Aristoteles ait, contra sophisticas importunitates. Si enim nulla subjecta sit res, quam significat vox, designativa esse non dicitur; sin vero una res sit, quam significat vox, dicitur simplex; quodsi plures, multiplex, id est multa significans. Dividenda igitur haec recte sunt, ne in aliquo syllogismo capiamur. Sin vero amphibola oratio est, id est ambigua, evenit, ut aliquoties utroque modo possibilia sint, quae significantur, ut id quod superius dixi, potuit enim fieri, ut Graeci vincerent Trojanos, et Trojani Graecos superarent. Sunt vero alia, quae impossibilia sunt, ut cum dico, hominem comedere panem, significat quidem, quod homo comedat panem, rursus, quod panis hominem, sed hoc impossibile est. Ergo quoties ad contentionem venitur, dividenda possibilia et impossibilia sunt. Quoties ad veritatem, sola possibilia dicenda, impossibilia relinquenda sunt.

## Commentum Alberti.

Secundum autem omnes istos modos fit in divisione vocis multiplicis distinctio. Dividitur enim aut per significata multa, quae significat ambigue, aut per modos significationum, quando multos modos significat circa unum, aut, quando in communi confusum facit intellectum, dividitur et distinguitur per determinatio-

nes. Sed in iis vocibus, quae secundum significationes dividuntur, non dividendae et distinguendae sunt significationes, sed etiam determinandum, diversas res esse, quae significantur, et hoc diffinitione rerum monstrandum est. Aristoteles enim in primo Topicorum hoc praecipit diligenter esse faciendum, sicut exemplariter loquendo in his, quae dicuntur bona, distinguendum est. Alia enim sunt bona per se, quae retinent boni per se substantialem qualitatem et speciem. Alia autem sunt bona, non quod qualitatem vel speciem boni per se habeant, sed, quia bonum esse faciunt, idcirco effective bona dicuntur, sicut aliquando febris bona est, quia aliquando facit recedere a vitiis et diligere virtutes. *Hanc autem artem distinctionis vocum multiplicium*, ut ipse dicit Aristoteles in Elenchis, *maxime exercere opportet contra sophistas et sophisticas importunitates*. Si enim nulla sit res, quam vox significet, tunc illa vox significativa esse non dicitur. Si vero una sit tantum res, quam significat vox una, tunc dicitur illa vox simplex et non multiplex. Sin autem plures res sunt, quas una vox significat, tunc dicitur multiplex et multa significans. Dividenda ergo est in significata sua vel modos significandi, ne aliquo decipiamur conclusi syllogismo sophistico vel paralogismo. Si autem non sit vox simplex et incomplexa, sed sit amphibola oratio, hoc est ambigua, aliquando evenit, ut aliquoties utroque modo aequaliter possibilia sint, quae significantur, ut in exemplo quod superius induxi: *Audio Troianos vicisse Graecos*. Potuit enim fieri, ut Graeci vincerent Troianos. Et potuit fieri, ut Graecos Troiani superarent sive vincerent. Sunt etiam alia in ambiguis, quae impossibilia sunt in altera parte, ut cum dico, *hominem comedere panem*, significat haec oratio ambigue, et quod homo comedat panem, et rursus significat, quod panis comedat hominem. Sed secundum hoc est impossibile. Quoties igitur ad contentionem venitur, et sophistica contradictio timetur, dividenda sive distinguenda sunt et possibilia et impossibilia. Quoties igitur tenditur ad veritatem accipiendam sine contradictione proterva sophistarum, sola possibilia dicenda sunt, impossibilia vero relinquenda. Quando enim timetur contradictio, si non praeveniat distinctio, videbitur sophista concludere. Si

---

32 Ex textu Boeth. contentionem: A-F contradictionem. — 35 Boeth. dicenda; A-F danda.

5 Arist. Top. I cfr. praes. cap. 5 A 15, p. 102, 3—6 etc. — 13 Arist. Elench. cap. I. p. 165, 2—18.

autem praevenitur distinctione, manifestabitur sophista. Omnes etiam modos opportet distinguere, ne aliquid latere videatur. Sed in confusis et indeterminatis proprie loquendo non fit distinctio, quia nihil est ibi multiplex, sed per determinationem, id quod confusa voce propositum est, determinandum est et restringendum. Sicut autem in antehabitis diximus, secundum compositionem et divisionem et figuram dictionis non sic distinguitur, quia vel potentialem vel phantasticam non actualem et veram habent multiplicitatem.

---

## Capitulum tertium.

## De modis specialibus, quibus distinguenda sunt singula multiplicia.

---

# Textus Boethii.

Quoniam plures sunt species plura significantium vocum, ergo dicendum est, quod aliae in particula multiplicitatis significationem habent, aliae in tota oratione. Et earum, quae in particula habent, pars ipsa aequivoca dicitur. Tota vero ipsa oratio secundum aequivocationem multiplex est. Illa vero, quae in oratione tota significationis multiplicitatem retinet, (ut supra dictum est) ambigua nuncupatur. Dividuntur autem significationes aequivocorum vel secundum aequivocationem orationum aut diffinitione, ut cum dico: homo vivit, intellegitur et verus et pictus. Dividitur autem hoc modo, animal rationale mortale vivit, quod verum est; animalis, rationalis, mortalis simulatio vivit, quod falsum est. Dividitur etiam qualibet adjectione, quae determinet, vel generis, vel casus, vel alicujus articuli, ut cum dico: Canna Romanorum sanguine sorduit, et calamum demonstrat et fluvium; sed dividimus sic, articulo quidem, ut dicamus: hic Canna Romanorum sanguine sorduit; vel genere, ut: Canna Romanorum plenus sanguine fuit; vel casu, vel numero. In illo enim singularis tantum est, in illo pluralis, et de aliis quidem eodem modo. Sunt autem alia secundum accentum, alia secundum orthographiam. Secundum accentum quidem ut pone, pone. Secundum orthographiam, ut quaeror et queror, ab inquisitione et querela. Et rursus haec secundum orthographiam ipsam dividuntur, vel secundum actionem et passionem, quod quaeror ab inquisitione passivum est, queror autem a querela agentis est. Ambiguarum

vero orationum facienda est divisio, aut per adjectionem, ut: audio Trojanos vinci, Graecos vicisse; aut per diminutionem, ut: audio Graecos vicisse; aut per divisionem, ut: Graeci vicerunt, Trojani victi sunt: aut per aliquam transmutationem, ut cum dicitur: audio Trojanos vicisse Graecos, ita dicamus: audio, quod Graeci vicerint Trojanos. Haec enim ambiguitas quolibet eorum modo solvitur. Non tamen ita dividenda est omnis vocum significatio tanquam generis. In genere enim omnes species enumerantur. In ambiguitate vero tantae sufficiunt, quantae ad eum sermonem possunt esse utiles, quem alterutra nectit oratio. Ac de vocis quidem divisione sufficienter dictum est. Est autem et de generis totiusque divisione propositum atque expeditum. Quare de omnibus secundum se partitionibus diligentissime pertractatum est.

## Commentum Alberti.

Quoniam autem non una sed plures sunt species vocum earum, quae plura significant, distinguendum sive dividendum est imprimis, qua multiplicitate vox multiplex plura significat. Quaedam enim voces in una particula, sive una dictione orationis, unam habent suae significationis multiplicitatem, ut aequivocatio. Aliae autem voces habent multiplicitatem in tota oratione. Earum autem, quae in particula una habent, pars ipsa, quae multiplex est, aequivoca dicitur. Tota vero oratio, cuius pars est aequivoca, non dicitur aequivoca, sed dicitur multiplex secundum aequivocationem. Illa vero vox, quae in oratione significativa continet multiplicitatem, ut supra dictum est, ambigua vocatur, quam Graeci amphibolam vocant. Distinguuntur autem significationes aequivocorum, vel orationum secundum aequivocationem multiplicium, distinguendo diffinitione, verbi gratia, ut cum dico: *Homo vivit*, potest intelligi et verus homo et pictus. Dividatur igitur hoc modo hominis veri diffinitione sic dicendo: *Animal rationale vivit*, quod verum est. *Animalis rationalis per artem facta similitudo vivit*, quod falsum est.

Quia, quamvis aequivocis sit nomen unum, ratio tamen substantiae secundum illud nomen est diversa. Potest etiam dividi vel distingui qualibet adiectione, quae determinat significata ipsius, sive sit adiectio generis sive casus vel alicuius articuli sive articularis pronominis, ut cum dico: *Canna Romanorum sorduit sanguine*. Canna significat et calamum sive arundinem et significat fluvium, qui proprio nomine Canna vocatur,

28 Boeth. diffinitione: A-F in dictione. — 38 A-D F sorduit; E canduit.

propter quod sic distingui potest: Hic Canna Romanorum sanguine sorduit, quia, cum Canna significat fluvium, masculini generis est, et sic distinguitur articulari pronomine ad fluvii significationem. Potest etiam distingui genere, per adiectivi appositionem, ut si dicam: Canna Romanorum sanguine plenus fuit et ideo sorduit. Potest etiam casu hoc fieri vel numero sive numeri consignatione. Canna vero, cum fluvium significat, non habet numerum nisi singularem; cum autem significat herbam palustrem, habet et singularem et pluralem. In una enim significatione singularis numeri tantum est et masculini generis; in alia significatione est pluralis numeri, habet tamen in singulari, est neutri generis et declinatur hoc cannum, huius canni, et est locus generationis arundinum, quae loca canna vocantur in plurali. Et de aliis quidem multiplicibus in dictione eodem modo distinguendum est. Sunt autem multiplicia in una dictione secundum accentum, sed, ut diximus, fantastica est multiplicitas illa, quia non est omnino eadem vox, quae sub diversis profertur accentibus. Alia etiam secundum orthographiam, quia scilicet eisdem litteris scribuntur, sunt multiplicia, quia, licet eodem modo scribantur, non tamen eisdem temporibus in prolatione mensurantur. Secundum accentum quidem sicut pone verbum, quod gravi accentu in fine pronuntiatur, et pone adverbium, quod in fine vel acuto vel circumflexo pronuntiandum est, et haec multiplicitas per differentiam accentus est determinanda. Secundum vero orthographiam exemplum est, ut quaeror pro inquiror et queror pro conqueror, quae eisdem elementis et scribuntur et pronuntiantur. Sed tamen quaeror pro inquiror primam longam habet syllabam. Queror autem pro conqueror primam habet brevem, et hoc mora pronuntiationis determinandum est. Unum dicitur ab inquisitione, alterum autem a conquisitione sive querela. Haec igitur rursus aut secundum ipsam orthographiam in pronuntiatione temporum dividuntur, dividuntur autem etiam aliquando secundum genus activum vel passivum. Quaeror enim ab inquisitione dictum passivum est. Queror autem a querela dictum activum est. Quando autem oratio tota ambigua sive amphibola est, tunc facienda est divisio sive distinctio uno quattuor modorum. Primo quidem per adiectionem alicuius determinantis, ut in hac oratione: Audio Troianos vicisse Graecos, ut sic apponamus: Audio Troianos victos esse, Graecos vero vicisse. Secundo per diminutionem alicuius facientis ambiguum,

30 A-E conquisitione; F querimonia.

ut: Audio Graecos vicisse et dimittatur Troianos. Tertio per divisionem orationis ut: Graeci vicerunt, Troiani autem victi sunt. Quarto autem per aliquam transmutationem partium orationis, per quam determinatur ambiguum, ut cum dicitur: Audio, quod Graeci vicerunt Troianos. Ibi enim vicisse mutatur in quod vicerunt. Haec enim orationis ambiguitas quolibet dictorum solvitur modorum. Non tamen ita dividenda est omnis vocum multiplicium significatio tamquam generis significatio, hoc est, ut vox communitatem generis habeat ad sua significata. In divisione enim generis omnes species enumerantur, si sufficiens debeat esse divisio. In distinctione autem ambiguae vocis tanta et tot sufficiunt, quanta et quot possunt esse utilia ad eum sermonem distinguendum, quem alterutra inter nos et adversarium nectit per varium sensum oratio. Haec igitur de divisione vocis in significationes dicta sufficiant. Ante hoc autem de generis divisione et totius in partes divisione satis in antehabitis propositum est et expeditum. Pertractatum est igitur sufficienter de omni divisione, quae secundum se et non per accidens dicitur divisio.

## Capitulum quartum.
### De duabus divisionibus per accidens.

## Textus Boethii.

Nunc de his divisionibus dicemus, quae per accidens fiunt. Harum autem commune praeceptum est, quidquid ipsorum dividitur, in opposita disgregari, ut, cum subjectum in accidentia dividimus, non dicimus: corporum alia sunt alba, alia dulcia, quae opposita non sunt, sed: corporum alia sunt alba, alia nigra, alia neutra. Eodem quoque modo in aliis secundum accidens divisionibus dividendum est, atque illud maxime perspiciendum est, ne quid ultra dicatur aut minus, sicut fit in generis divisione. Non enim oportet relinqui aliquod accidens ex eadem oppositione, quod subjecto illi inest, quod non in divisione dicatur, neque vero addi aliquid, quod subjecto inesse non possit. Posterior quidem peripateticae secta prudentiae differentias divisionum diligentissima ratione perspexit, et per se divisionem ab ea, quae est secundum accidens, ipsasque inter se disjunxit ac distribuit. Antiquiores autem indifferenter, et accidente pro genere, et acciden-

tibus pro speciebus aut differentiis utebantur. Unde nobis peropportuna utilitas visa est, et communiones harum divisionum prodere, et eas propriis differentiis disgregare. Ac de divisione quidem omni, quantum introductionis brevitas patiebatur, diligenter expressimus.

## Commentum Alberti.

Nunc ergo restat dicere de iis divisionibus, quae sunt et dicuntur per accidens divisiones. Harum autem omnium commune praeceptum est, quod, quidquid in talibus divisionibus dividitur, semper per opposita dividatur, sive dividatur subiectum in accidentia, sive e converso accidens in subiecta sive etiam accidens in accidentia. Ut subiectum in accidentia dividamus, non dicamus sic: C o r p o r u m  a l i a  s u n t  a l b a ,  a l i a  s u n t  d u l c i a , quia illa opposita non sunt. Sed sic dicamus: C o r p o r u m  a l i a  s u n t  a l b a ,  a l i a  n i g r a ,  a l i a  n e u t r a  s i v e  m e d i o  c o l o r e  c o l o r a t a , quia oppositio causa est divisionis, et omnis divisio debet fieri per opposita. Eodem quoque modo in aliis divisionibus, quae secundum accidens sunt, faciendum est. Illud etiam maxime perspiciendum et cavendum est, ne quid ultra dicatur vel enumeretur in dividentibus, quam continetur in eo, quod dividitur, et ne quid minus, quam in eo continetur, sicut fit in generis divisione, in qua omnes species inducuntur, quae continentur in genere. Oportet enim non relinqui aliquod accidens, quod eiusdem est oppositionis et subiecto illi, quod dividitur, inest, quod non dicatur in illa divisione expressum. Nec oportet addi aliquid, quod illi subiecto inesse non possit. Et haec de divisione accidentium dicta sint.

---

## Capitulum quintum.

### De libri huius determinatione.

Est autem notandum, quod posteriores quidem de secta Peripateticorum, qui magis veritatem de singulis investigaverunt, differentias omnium divisionum, sicut hic inductae sunt, diligentissima ratione perspexerunt, et ideo divisionem per se dictam ab ea divisione, quae est secundum accidens, sicut hic factum est, distinguendo disiunxerunt, et similiter divisiones per se, cum tres

sint, et divisiones per accidens, quae etiam tres sunt, inter se disiunxerunt et distribuerunt, sicut et hic factum est. Antiquiores vero Peripatetici, quia nondum subtiliter differentias divisionum investigaverant, indifferenter et accidente pro genere et specialibus accidentibus pro speciebus et differentiis utebantur, et ideo in multis errabant. Unde nobis peroptima utilitas visa est, et communiones dictarum divisionum prodere latinis et easdem divisiones propriis differentiis, quibus a se invicem differant, disgregatim et discrete determinare, sicut in toto contextu libri huius factum est diligenter. Et haec de divisione communi, quantum introductionis patitur brevitas, satis diligenter expositum est. Cum autem logica sit scientia docens devenire per notum ad ignoti notitiam, et ignotum sit complexum et incomplexum, iam pars prior logicae descripta est. Incomplexum enim non scitur, nisi diffinitione. Diffinitio autem invenitur divisione, et ideo divisionis et diffinitionis una scientia est in communi. Ad divisionem autem et diffinitionem requiritur ordo divisibilium et praedicabilium, qui in Praedicamentis et Sex Principiis determinatus est. Ordinata non ordinantur, nisi per ordinis rationem, et hoc in scientia Universalium descriptum est. Rationis igitur actus, qui est ordinare ad notitiam incomplexi habendam, quantum ad intentionem logicam satis determinatus est per ea, quae iam de logicis pertractata sunt. In tali enim ordine suprema et prima sunt scientia indiffinibilia et per se nota. Inferiora autem sunt nota per aliud et diffinibilia. Et ideo ratio ordinans huius construit ignoti cognitionem per id, quod notum est per se ipsum, quod notificari non potest, nisi quoad nos per posterius. Et hoc fit per divisionem. Et quia veteres hanc artem non habebant, ideo dicit Aristoteles, quod antiqui logicam non habebant, nec utebantur arte diffiniendo. Quae autem Aristoteles de hac arte scripsit, ad nos non devenerunt. et ideo dicta Boethii ab Andronico sumpta secuti sumus.

Explicit liber divisionum expositus a fratre Alberto episcopo.

---

29 A-E logicam; F hanc artem.

29 Arist. Elench. cap. 34: „huius autem dialecticae tractationis . . nihil prorsus extabat. [Antiqui] . . . celeriter quidem sed citra artem discipulos suos docebant.“ 133[b] 34—134,2.

# Index nominum et locorum.


Albertus Magnus, De Universalibus 23, 29; 29, 27; 34, 9; 35, 33; 33, 9; 40, 21; 41, 13; 44, 17; 64, 5; 73, 2; 90, 21.
— De Praedicamentis 15, 11; 47, 14, 16; 90, 19.
— De Sex Principiis 90, 20.
Andronicus 13, 11; 14, 34; 15, 4; 17, 7; 90, 33.
Aristoteles 16, 5, 7, 8; 90, 31.
— De Praedicamentis 54, 9; 56, 4.
— De Analyticis Post. 40, 16; 66, 10; 68, 17.
— Topica 21, 28; 41, 3; 83, 13; 84, 5.
— De Elenchis 83, 17; 84, 13; 90, 30;
— Physica 52, 15; I 53, 12; 59, 38; III 73, 18; V 53, 12; VI 75, 1.
— De Generat. et Corr. 78, 3.
— De Anima I 30, 12; II 79, 14.
— Metaphysica V 17, 10; X 55, 9.
Averroes, Metaph. VII 39, 21.
Avicenna 16, 9; 20, 36; 21, 12; 21, 35; 23, 31; 40, 22.
Boethius, De Divisione 15, 2, 18; 17, 7; 90, 32.
— De Ordine Peripateticae disciplinae 49, 7; 51, 21.
Euclides 64, 15.
Gilbertus Porretanus 18, 28; 23, 31.
Peripatetici 14, 31; 89, 31; 90, 4.
Plato 13, 11, 12; 15, 8; 22, 20.
Plotinus 13, 12; 15, 4.
Porphyrius Isag. ed II 15, 10, 11; 33, 26; 34, 5; 40, 18, 27; 43, 14, 32; 44, 19; 46, 8.
— In Sophisten Platonis 13, 14; 15, 7.

TYPIS P. HAUPTMANN, BONNAE.

A. Cod Camerac. Bibl. publ. 961. saec. XIII fol. 75.



Albertus, De Divisione Tract. I Cap. 2 Tract. II Cap. 1.

B. Cod. Paris. Bibl. Nat. lat. 14382 a. 1291 fol. 98.



Albertus, De Divisione Tract. V Capp. 2, 3, 4, 5.

C. Cod. Oxon. Merton CCLIII saec. XIV fol. 145.



Albertus, De Divisione Tract. III Capp. 2, 3, 4.

D. Cod. Paris. Bibl. Nat. lat. 14707 saec. XV fol. 180 v.



Albertus, De Divisione Tract. III Capp. 8, 9.

F. Cod. Vatic. lat. 2118 a. 1424 fol. 111v.



Albertus, De Divisione Tract. II Cap. 5, 6. Tract. III Cap. 1.

F. Cod. Venet. S. Marci Z. L. CCXCIV fol. 123.



Albertus, De Divisione Tract. II Cap. 5, 6. Tract. III Cap. 1.